



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY





QUAESTIONES VARRONIANAE GRAMMATICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE XXII. MENS. APRIL. A. MDCCCLXXXII. HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HUGO REITER

ROESSELIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:


RUDOLFUS HECHT, DR. PHIL.

OSCARUS KUHFELD, CAND. PHIL.

REGIMONTII.

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MDCCCLXXXII.


HARVARD COLLEGE
OCT 1 1895
LIBRARY.

HENRICO IORDANO

VENERABUNDUS OBTULIT

HUGO REITER.

Ante hos duos annos cum ordo philosophorum Regimontanus litterarum certamen iussisset ita fieri ut 'de M. Terenti Varronis particularum usu sensusque conectendi ratione disputetur et maxime quaenam inter libros de lingua Latina et libros de re rustica scriptos dicendi generis discrepantia intercedat, quaerendo efficiatur non neglectis deperditorum librorum reliquiis' ego hoc grande et 'periculosae plenum opus aleae' tractare incepi. Etenim quod Augustus Wilmannsius anno 1864[1]) scripserat 'de omnibus subtilioribus certi quidquam statui ante non posse quam de Florentini codicis singulis locis constet' etiam XV. annis post de hoc codice uno omnium praestantissimo dicendum erat; quamquam varietatem eius diligentissime enotatam ab Henrico Keilio accepisse Leonardum Spengelium,[2]) ipsum excussisse Wilmannsium constabat. Sed neuter collationem suam iuris publici fecit, atque illum quidem virum clarissimum et de Varrone optime meritum, quem spes erat iterum libros de l. L. esse recensurum, nuper diem obiisse supremum dolemus.

Quam ob rem bene contigit, ut anno post quam tempus operamque in legendis libris Varronianis consumpsi Adolfus Grothius libellum scriberet de M. Terenti Varronis de l. l. librorum codice Florentino,[3]) quem co-

1) Cfr. libellum cui inscripsit 'De M. Terenti Varronis libris grammaticis' p. 44.

2) Cfr. Acta acad. Monacensis generis philosophici et philologici vol. VII. (1854) p. 432 et 'de emend. rat. librorum de l. l.' Monachii 1858 p. 3.

3) Diss. inaug. Argentorat. a. 1880.

dicem, 'cum anno 1877 occasione feliciter oblata per aliquot menses Florentiae morari liceret, auctore et suasore Guilelmo Studemund bis cum Spengeliana editione accuratissime' se contulisse narrat (l. c. p. 4.) Itaque cum artem criticam iam in certo fundamento collocare liceret, totum beneque sperantem me dedi Varroniano sermoni inquirendo, si quae discrimina in scriptis eius invenire atque ad restituendum contextum aliquid conferre possem. Neque spem me fefellisse statim cognosces. Hic vero libros Varronianos editoresque afferam, quibus in hac mea quaestione usus sum. Itaque praeter libros de l. l. et libros de r. r. scriptos, quorum editores nominare non opus est, horum librorum fragmenta perlustravi:

Varronis Menippearum reliquias (ed. Buecheler. una cum Petron. satir. a. 1871.)

Logistoricorum quae supersunt (ap. Riesium in ed. sat. Men. p. 247 sq.) Epistulas (ap. eundem Riesium l. c. p. 259—260).

Antiquitat. rer. div. (ap. Merkel in ed. Ovidii Fastorum p. CVI. sqq.)

De vita pop. Rom. quae extant (ed. H. Kettner. Halis 1863.)

De gente pop. Rom. (ed. idem Kettner in libro cui inscripsit: 'Varronische Studien' Halle 1865. p. 63 sq.)

Librorum grammaticorum praeter libros V.—X. de l. l. relliquias (coll. Wilmanns. l. c. p. 142 sqq.)

Sententias quae Varronis nomine feruntur, non inquiram, immo quae Ritschelius[1]) et post eum Riesius[2]) in genuitatem earum dixerunt, recte se habere mihi persuasi.

1) Cfr. Mus. Rhen. vol. XII (1857.) p. 147—154. = Opusc. III. pag. 522.

2) Praef. ed. sat. Men. p. X.

Pars prior.

Quaeritur, quaenam dicendi generis discrepantia intercedat inter libros de l. l. et libros de r. r. scriptos, non neglectis deperditorum librorum reliquiis.

'Et' quid habeat singulare apud Varronem, cum accuratius quaesivissem, huius operae pretium satis magnum percepi quod formulam quae est **'et qui'**, cum modo coniunctivo adhibitam, eam quae adiectivum sequens alterius cuiusdam adiectivi in locum succedere solet, in libris de l. l. omnino nunquam, in libris de r. r. scriptis saepius in usu versari inveni. Exempla sunt haec:

II, 3, 9 (caprae . . lascivae et quae dispergant se); 5, 8 (pedibus non latis neque ingredientibus qui displudantur[1]) nec cuius ungulae divaricent et cuius ungues sint leves); 11, 3 (casei . . . maximi cibi sunt bubuli et qui difficillime transeant sumti; — minimi cibi et qui facillime deiciantur, caprini). III, 9, 5 (galli . . pertinaces et qui animalia . . non pertimescant). 9, 9 (ova . . subiciat . . vetulis . . et quae rostra aut ungues non habeant acutos).[2])

Formula quae est **'nec qui'** item non invenitur nisi in libris de r. r.; exemplum habeo hoc unum quod modo descripsi II 5, 8.

Nec non formulam numquam adhibitam esse a Varrone in libris de l. l. saepissime in libris de r. r.

1) cf. Lachm. ad Lucr. p. 253.

2) Pro 'et qui' admissum est 'quique' II, 8, 3 sic: 'quem amplissimum . . possunt eligunt quique seminio natus sit bono'.

invenit vir praestantissimus Ferdinandus Handius. Is enim 'Auctorem', inquit, 'idoneum grammatici afferunt Varronem, qui saepius nec non pro et usurpaverit. Ille enim in libris de r. r. nihil frequentius scripsit, in libris de l. l. numquam: unde suspicio suboritur de diversa librorum origine. Poetae igitur temporis augustei sunt, quorum in carminibus certa huius dictionis apparent documenta, eosque imitati sunt posterioris aetatis scriptores. Iidem addiderunt adeo 'etiam', 'et' ut esset 'nec non etiam', 'nec non et'.' (Turs. vol. IV, p. 111). Atqui exempla illiusmodi in Varronis de l. l. libris inveni haec: V, § 5 p. 16[1]); VIII, § 55 p. 432. X, § 35 p. 564.[2]) Conferas quaeso locum qui est VII, § 4 p. 285 sq. quem e sensu interpungendum esse apparet sic:

Neque, si non norim radices arboris, non possem dicere . . . .

VIII, § 32 p. 415 in codicibus leguntur haec: „Quodsi esset analogia petenda supellectili, omnes lectos haberemus domi ad unam formam, et aut cum fulcro aut sine eo, nec cum ad tricliniarem gradum, non item ad cubicularem."

Qua in lectione et Spengel. et Mueller. offenderunt. Et ille pro verbis 'non item' legendum conicit 'nunc item', addit tamen 'ni delenda potius altera negatio'; id quod Muellerus fecit. Nihil ego mutandum esse existimo locumque ita interpretor ut verba 'nec non' loco alterius 'et' posita alteri quod praecedit respondeant. Sensum igitur ille locus habet hunc: Cum ad tricliniarem (lectum) habeamus gradum, sic item haberemus gradum ad lectum cubicularem.[3])

---

1) non —; neque —; neque non —.

2) et — et — neque non etiam.

3) Quod idem coniecisse Christium nunc video in Philol. vol. XVI. p. 455.

Duo restant loci, ubi locutio quae est 'neque enim non' usurpatur:

X, § 55 p. 576; VIII, § 26 p. 411 (quo loco junctura quae est 'non neglego' per litoten intelligenda esse videtur).

E libris de r. r. conquisivi omnia huius formulae exempla, haece: 'neque non' I, 9, 4; II, 11, 11; III, 5, 6; 16, 12 ('aëre neque aestate fervido neque hieme non aprico'); II, 2, 14.[1]) I, 1, 6 ('quibus propitiis neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit neque non tempestive florent') III, 3, 4 (neque non etiam) I, 13, 6 (neque non et). I, 2, 23 (neque ideo non) II, 5, 9 (neque non praeterea)

I, 18, 3 (neque enim . . non), ubi tamen 'non' ut quod sententiam pessumdet delendum esse docet Madvicus in Advers. crit. vol. II. p. 180.

II, 1, 22 (nec non etiam); cfr. II, 10, 9. III, 16, 26. I, 1, 6 (nec non et)[2]) II, 10, 11 (nec tamen non). I, 4, 2 (nec non); cfr. 6, 3; 8, 5; 13, 4; 20, 2[3]); 35, 2; 39, 2; 4, 4 (nec . . non). II, 2, 6; 9, 10; 4, 3 (nec . . non); Praef. 4. III, 2, 14; 7, 10; 16, 8; 16, 25. Huc non pertinet locus qui est I, 69, 3 ('Nec si eum servare non potuisset' . . .); ubi duas negationes more Graeco pro una positas esse arbitratur Scaligerus.[4])

Falsam igitur esse Handii opinionem in aperto est;

---

1) 'etiam' quod edd. addunt, deest apud Politianum. Cfr. Franciscum Zahlfeldt. in dissertatione Berolinensi cui inscripsit 'Quaestiones criticae in Varronis rerum rusticarum libros tres' (a. 1881) p. 20.

2) Pro 'et' quod habet Politianus, in editionibus scriptum est 'etiam'.

3) cfr. Zahlfeldt. l. c. p. 29.

4) Forsitan hoc potius ad sermonem vulgarem referri oporteat. Plura huiusmodi exempla affert Kettner. De vita pop. Rom. frg. 30, 4.

amen differentiam sermonis hic quoque videre licet, quia saepissime in libris de r. r., raro in libris de l. l. formula usu teritur.[1])

Multa in his quae dixi exempla invenies, ubi pro 'nec' expectes 'nec vero' 'nec tamen', 'neque autem', ut dicatur 'nec vero non' etc. Ut unum afferam exemplum, hoc loco qui est de l. l. VII, § 4 p. 285: 'non omnium verborum posse dici causam . . . neque, si non norim radices arboris, non posse me dicere pirum esse ex ramo, ramum ex arbore . . .' haec formula prorsus idem valet quod 'neque tamen . . non'. Itaque scito, Varronem et in libris de l. l. et in illis de r. r. scriptis formulas quae sunt 'nec vero' 'neque autem' omnino numquam,[2]) formulam quae est Nec tamen, in libris tantum de re rustica scriptis admisisse. Exempla sunt haec:

I, 1, 4 (neque tamen); cfr. 59, 1. III, 16, 7; II, 4, 2 (nec tamen); cfr. III, 2, 8; 9, 6. II, 10, 11 (nec tamen non).

Varro igitur ne iis uteretur, particulae 'neque' tantum tribuit, ut per se sola oppositionem exprimeret. Conferas in libris de l. l. cum alia exempla tum haec:

VIII, § 58 p. 435; VII, § 4 p. 286.

VIII, § 62 p. 437; IX, § 97 p. 529.

X, § 36 p. 564; in libris de r. r. his simillima haec:

I, 5, 2; 23, 6; 34, 1; 40, 4. II, 9, 12 etc.

Sed rogaverit quispiam, linguaene Varronianae proprium sit in libris de l. l. pro formula 'neque tamen' dicere 'tamen non'. Quare quod unum huc pertinet exemplum IX, § 88 p. 522 ('imposuerunt vocabula, neque

---

1) In fragmentis hanc formulam inveni sat. Men. p. 178, 190 (nec non), p. 177, 177 (neque— neque . . . non), p 183, 241 (neque— neque . . . non).

2) 'vero' et 'autem' particulae a nostro tam raro adhibitae sunt, ut 'vero' in libris de l. l. plane abstineat, 'autem' particula paucis locis (quos infra describemus) utatur.

ratione, sed tamen non contra . . analogiam'), in eo 'tamen' non cum negatione, sed cum 'sed' copulari debet.[1])

Formula quae est **Cum — tum,** ea quae idem significat quod 'et — et', in libris de l. l. non extat; in libris de r. r. scriptis eam inveni his locis:

I, 55, 7 (Is humor modicus cum ad multas res, tum ad agriculturam pertinet vehementer).

II, 4, 3 (Cum haec eadem ut habeant verres videndum, tum utique sint cervicibus amplis).

III, 9, 15 'Neque pullos tantum (sc. prodigendum), sed omne ὀρνιθοβοσκεῖον, cum aestate, tum utique cum tempestas sit mollis).

Vides igitur cum particula 'Tum' coniunctam bis 'utique' hac ratione, ut illa verba, quorum in conexu locum habet, prae ceteris eleventur; id quod bonae aetatis scriptores fere 'tum' voce sola exprimere constat. Particula autem

Utique sicut formula illa inter libros de l. l. et libros de r. r. discrimen efficit, siquidem in illis omnino nusquam, in his occurrit compluribus locis, his:

II, 4, 21 ('Castrantur verres commodissime anniculi, utique ne minores quam semestres); 10, 11 (Ad equarum gregem quinquagenarium bini homines. Utique uterque horum ut secum habeat equas domitas singulas . .); III, 7, 6 (Ipsae . . . utique redeunt . .); 12, 7 (Duo quidem utique te habere puto). II, 4, 3 (v. supra); III, 9, 15 (v. supra).

I, 19 in fine capitis post verbum 'stercus' haec verba addita sunt in codicibus: 'De canibus vero utique

1) Alias huiusmodi formulas, ut sunt 'neque enim' (pro qua non minus saepe 'non enim' a nostro ponitur), 'nec minus', 'nec solum' silentio praeteribo; eam autem quae est 'neque etiam' paulo infra una cum iis, quae sunt 'aut etiam', 'vel etiam', 'nisi etiam' in quaestionem vocabo.

quod villa sine iis parum tuta', quae 'utrum recte hoc loco legantur an male e capite vicesimo primo huc translata sint confirmare non audet' Keilius.[1]) Sed pro eo quod in Keilii codicibus est 'utique', Politianus exhibet 'utile', quare Zahlfeldtius (l. c. p. 22) in hunc modum interpretatur: 'quod ad canes attinet, utile est (eos habere), quod villa sine iis parum tuta'. Tamen non statim ad hanc opinionen accedo, quamquam linguae Varronianae et 'de' particula sic posita optime convenit[2]) et verbum habendi durissime hic omittere fortasse licet.[3])

Etiam particulam aliter se habere in libris de l. l., aliter in libris de r. r. age cognoscas formularum potissimum condicione quae sunt 'aut etiam', 'vel etiam', 'et etiam'. Has enim libri tantum de r. r. scripti praebent, nusquam invenies in libris de l. l. Atque illa, quae est 'aut etiam', locos occupavit hos: I, 2, 23 (propter agrum aut etiam in agro); 7, 7; 16, 3; 43; 51, 2; II, 6, 5. III, 16, 30.

Quae est 'vel etiam', eam sibi vindicant loci hi: I, 59, 3; II, 9, 9.

Denique ut de tertia formula 'et etiam' adiciam,

---

1) 'Observationes criticae in Catonis et Varronis de re rustica libros' scripsit H. Keilius. Halis, 1849.

2) Saepe 'nova si incipit pars quaestionum, Varro universe argumentum indicat substantivo usus a praepositione 'de' pendente, proximo enuntiato non coniuncto aut subiuncto'; cuius dictionis exempla nonnulla attulit Zahlfeldt. l. c. p. 24 sq. Ea quae sunt I, 59, 1; II, 4, 22 non recte lemmata esse putat Nettleship. (Journal of philology VII. (1877) p. 173 sq.)

3) Fragmenta hanc particulam praebent ea quae supersunt librorum de vita pop. Rom. l. c. p. 27, 40: 'Minoris natu capite aperto erant, capillo pexo utique innexis crinibus', quam codicum lectionem Popma in 'vittisque' mutavit probavitque Kettnero. — Denique non omittam Lachmannum ad Lucr. IV, 638 observare, antiquissimos 'utique' non dixisse, poetarum vero apud nullum hanc particulam sibi esse lectam.

primum e libris de r. r. afferam exempla haec: I, 48, 1; 59, 4; II, praef. 5. II, 7, 2;[1]) III, 9, 9, de quibus locis codicum nulla est disceptatio; at in eo qui est II, 4, 10 (Prisci quoque Latini et etiam Graeci) delendum 'et', quod non est in codicibus.[2])

In libris de l. l. hanc formulam sibi arrogat locus qui est V, § 122, p. 128 in. Sic enim codices:

Pocula a potione, unde Potatio et etiam Postea. unde haud facile est pedem inoffensum referre. Itaque omnes fere et editores et interpretes Varronis coniciendo huius loci difficultates levigare studuerunt; sed in 'postea' tantum vocabulo offendentes levius hunc locum tetigisse mihi videntur. Quis enim ita loquitur, ut verba quaedam ('potatio et postea') primum ab una voce ('potio') derivet, deinde uno quasi ore alterum veriloquium adjungat sic: 'Haec possunt a poto?' Certe ad sententiam plene et diserte efferendam formula quaedam requiritur vel particula qua alterum veriloquium apte adiciatur. Quare maiore corruptela vel etiam lacuna hunc locum inquinatum esse mihi persuasi. Nec minus formulam 'et etiam' adhuc indubitatam hic non recte se habere certa stat mihi sententia; Varro enim in his de l. l. libris nusquam alibi eam aut quam aliam huiusmodi formulam, ut est 'atque etiam' admisit, sed omissa copulativa particula 'etiam' satis esse putavit ad nomina inter se conectenda. Exempla habeo haec:

IX, § 12, p. 464 'Miconos, Dioris, Arimnae, etiam superiorum'[3]) IX, § 18, p. 468 'Sic populus facere debet, etiam singuli'.

Muellerus ante 'sic' particulam 'si' coniectura addit, cum sententia, ut ait, licet stare possit sine parti-

1) De hoc loco disseruit Zahlfeldt. l. c. p 20.

2) cfr. H. Keil. l. c. p. 28

3) cfr. H. Keil. l. c. p. 29. Ad. Groth. l. c. p. 54 n. 332.

cula condicionali, multo tamen aptior sic exprimatur. Mihi quidem non apte, sed male correxisse videtur.

Tertium huius generis coniciendo restitui exemplum IX, § 114, p. 541, de quo infra disputabo. Nec vero desunt in libris quoque de r. r. loci, ubi 'etiam' particula a Varrone eadem ratione adhibita est. Sunt enim

III, 12, 1 (Oves ferae, etiam hoc maius) et quem locum e Keilii emendatione[1]) profero, I, 47 extr.: 'quo et pecus a prato ablegandum et omne iumentum, etiam hominem'; quae ab editoribus propagata sunt (veluti 'ac' ante 'etiam' positum) Iucundo debentur. Quamquam paucis quibusdam locis haec formula 'atque etiam' in his ipsis de r. r. libris e codicum auctoritate originem duxit, ut III, 12, 2; I, 2, 17;[2]) a libris de l. l. haec quoque formula abest. — Adhibet igitur noster in libris de r. r. particulam 'etiam' (valentem 'auch', non 'sogar') et cum et sine copulativa, in libris de l. l. copulativa abstinet. Cuius rei causa mihi videtur esse, quod libris de r. r. scriptis, ut qui sermonem contineant familiari dictione habitum, illud pleonasticum genus dicendi maxime conveniens esse aestimavit.[3])

Venio nunc ad particulam, de qua nuper Guilel-

---

1) l. c. p. 29.

2) cfr. Sat. Men. l. c. p. 209, 534.

3) In his tantum libris legitur 'etiam quoque', velut I, 1, 3; 2, 14. —

Cum 'neque' particula coniunctum habemus 'etiam' in libris de l. l. semel (IX, § 71, p. 509), in libris de r. r. bis (I, 2, 16; III, 16, 6). Huc non pertinet locus qui est de r. r. I, 65, 1 ('neque etiamdum'), quoniam idem valet quod nostrum 'und noch nicht'. cfr. Madvig. ad Cic. de fin. (ed. II.) p. 812 n. 2. — 'Nisi etiam' non legitur nisi de l. l. V, § 118, p. 123, ubi in altero verbi cuiusdam veriloquio locum habet; pro qua formula alias aut solum 'nisi' aut 'nisi potius' adhibitum esse constat.

mus Grossmannus, praeceptor Allenstinensis, libellum composuit,[1]) puto particulam quae est

Quidem. Et de Varroniano quidem huius particulae usu vir ille doctus 'In libris', inquit, 'quos de l. l. Varro scripsit, semel 'quidem' legimus, idque IX, § 48, p. 490; nam ceteri, in quibus invenitur 'quidem' loci depravati emendandi sunt' (p. 13). Invenit autem locos qui sunt V, § 22, p. 31; VII, § 47, p. 333; addere debuit locum qui est VI, § 69, p. 246. Quos omnes tres locos corruptos esse constat, de remediis adhibendis magna est disceptatio. Atque illum quidem qui est

V, § 22 'Vias quidem iter, quod ea vehendo teritur, iter iterum; actus quod agendo teritur.'

Grossmannus ex parte emendasse mihi videtur. Scribit enim:

Via sic item, quod ea vehendo teritur, iter itu;[2]) actus quod agendo teritur.

Qua emendatione locus noster similiter restituitur atque ab Georgio Thilone, qui in nov. annal. philol. a. 1855 p. 532 eum sanandum esse arbitratur sic:

(sic) via quoque dicitur, quod ea vehendo teritur; iter quod itu teritur.

Sed a tradita lectione cum illa Grossmanni coniectura fere nihil recedat, formula vero 'sic item' ad Varronianum genus dicendi maxime pertineat, illi emendetionis palmam tribuere non dubito. Quamquam non bene eum remedio a se invento usum esse doleo; nam quae sequitur sententia

'quod ea vehendo teritur, iter itu'

docet, nomina quae sunt via et iter, quorum uno quasi ore veriloquia ostendantur, non modo antea utrumque

---

1) Diss Regimont. a. 1880.

2) Sic C. O. Muellerus.

pronuntiatum sed etiam artissime inter se coniuncta esse debere; id quod formula illa propria sua vi praestat.[1]) Quare ego scribendum esse censeo:

Via, sic item iter, quod ea vehendo teritur, iter itu.

Hac enim ratione si verba disponis, quid vitii relinqui existimas? Nonne idem nos assecuti sumus idque facillime, quod Georgius Thilo legendum proponit 'iter quod itu teritur'? Nam in bimembri enuntiato quale est nostrum

[via, sic item iter], quod ea vehendo teritur, iter itu

verba quae sunt 'quod' et 'teritur', ad alteram quoque enuntiati partem pertinere facillimeque suppleri, vel pueri sciunt.

Ceterum quod in copiosa, paene dixi, nimis copiosa huius loci enarratione Grossmannus, cum alios viros laudet, Lachmanni ne nomen quidem commemorat, non recte facit.[2])

---

1) Alii, in quibus Lachmannus Thiloque sub illo verbo particulam qua transitus significetur latere arbitrati alias eius generis particulas, hic 'quoque', ille 'similiter' in contextu ponendas esse censuerunt. Transitus vero vestigium illic nullum delitescere nullamque particulam, si licet dicere, transitivam proponendam esse mihi persuasi. Nam ut iterum dicam, nullo modo 'iter' vocabulum expellendum, sed potius una cum altero quod est 'via' pronuntiandum artissimeque cum eo coniungendum esse existimo.

2) Lachmannus in mus. rhen. vol. III. (a. 1845) p. 610 (opusc. p. 190) scribendum putat 'via similiter, quod ea vehendo teritur; iter itu'. Sed primum numquam a nostro 'similiter' ponitur hac ratione, ut transitum faciat; (id quod Spengel. in Act. acad. monac. l. c. p. 465 recte obiecit); deinde quod in Grossmanni coniecturam dixi, idem ad Lachmanni inventum pertinet. — Contra non male Muellerus 'Via sicut iter, quod ea vehendo teritur, iter itu', de qua lectione Lachmannus sic iudicat (l. c. p. 190): 'Müller hat nicht genügend verbessert: gut ist nur, dass er aus iterum itu

Sed nimium diu in recensendo hoc loco moratum me esse sentio; itaque ad particulam nostram ut redeam, Grossmannus (l. c. p. 16.) de loco qui est

VII, § 47, p. 333, qui in codibus legitur: 'Apud Lucilium quidem 'Thinno capto corium excludunt foras' idem sentit quod iam veteres editores, hanc particulam, ut quae contra usum ac rationem qua a Varrone adhibeatur, peccet, inducendam aut mutandam esse. Et sunt illae quidem coniecturae haud male factae, veluti ea quae in Turnebi codice extat: 'Quidam thynno —' vel quam fecit Spengelius 'Apud Lucilium quod est': ut

---

macht'. Muelleri autem lectionem tantum abest ut cum Lachmanno prorsus reiciam, ut dictionem plane Varronianam, sensum optimum, coniecturam facillime factam esse credam. Ac de 'sicut' particula cfr. locos qui sunt V, § 105 p. 108 ('Panarium, ubi id servabant, sicut Granarium, ubi granum frumenti condebant'); VI, § 10 p. 192; de sensu autem quod Muellerus ipse sibi adversatur dicens: 'Meae lectioni officit, quod non intelligitur, quid viae commune sit cum terendo, nam de vocabulis a terendo derivatis loquitur Varro', Lachmannus l. c. recte dicit 'dass Varro bei Gelegenheit von terra (nach ihm a terendo Betretenes) nicht bloss eben daher abzuleitende Wörter angiebt, sondern auch andere Arten des betretenen Bodens'. — Spengelius certam de hoc loco coniecturam non fecit; dicit enim l. c. p. 465 expectandum esse 'via est quidam terminus' aut 'via quidem terminus, quod ea vehendo teritur' scribendumque 'iter quod eundo iterum, actus quod agendo teritur'. Sed primum 'quidem' a Varronis more abhorret; deinde quid sit 'iterum eundo' quive iterum eundo iter teramus ego mente non comprehendo. Tum vero iure postules cum Thilone, ut verbis quoque quae sunt 'via' et 'actus' 'iterum' apponatur. — Ludovici Oxei de hoc loco sententiam non examinabo; inest in eo libello quem scripsit de Varronis etymis quibusdam (Kreuznach. 1859) p. 22 n. 58. — Denique Wilmannsius monet (l. c. p. 17. n. 1.), hunc locum ex eo qui est V, § 35 p. 37, 'illuc inlatum et quodammodo vicinis etymologiis accommodatum esse'. Quam viri praestantis sententiam ego ut amplectar a me impetrare non possum.

primus senarii pes exciderit. Neque desunt loci, ubi idem illud 'quod est' in simili usu versatur, ut sunt

VII, § 72, p. 353; § 99, p. 375 cfr. § 88, p. 365.

VII, § 15, p. 300 (?); § 14, p. 299.[1])

Itaque si quis velit, hanc vel illam coniecturam accipiat; ego utram sequar dubius haesito, hoc vero unum nego inducendo particulam tollendam esse. Habes enim in Varronis his libris, imprimis in septimo magnam locorum multitudinem, ubi e poetarum fabulis vel carminibus versus laudantur; in quibus omnibus ante versum laudatum aut solum poetae nomen ut 'Ennius Pacuvius, Naevius, Plautus' aut cum 'apud' praepositione coniunctum legitur. Itaque cum uno hoc loco interpolator qua re adductus sit ut particulam 'quidem' insereret difficile sit dictu, ut ceteris locis ita hoc quoque nostro eam e falsa librarii lectione in contextum venisse mihi persuasi.

Denique tertium huius particulae locum, quem ego attuli, unum omnium vexatissimum

VI, § 69, p. 246 codices sic exhibent: 'Spondit est Sponsor quidem faciat obligatur Sponsus Consponsus.'

'Quidem' particulam h. l. non recte legi inter omnes constat; pro qua coniecturas a veteribus interpretibus factas apud Spengelium cognoscere licet. Equibus Scioppii coniecturam scribentis 'qui dum' Spengelius pulchram putavit adeo, ut in contextu collocaret. Sed qui post Spengelium hos de l. l. libros edidit Carolus Odofredus Muellerus eam veram esse negavit, et qui paucis annis post de hoc loco et recensendo et il-

1) In eadem hac pagina extrema Havniensis Codex, bonitate proximus Florentino, falso exhibet 'quidem' pro ea quae vera est lectio 'quod est'! —

L. Muellerus in ed. Lucil. p. 158 scribit: 'Quei thynno . . .'

lustrando optime meritus est Carolus Lachmannus,[1]) coniecturam Scioppii silentio praetermisit. Sed ne Lachmanni quidem inventum quamvis facile et ingenio atque doctrina amplissime exornatum accipimus, sed potius cum Spengelio de eo dubitamus.[2]) Qui quibus de causis illud reiciat, longum est explicare; satis habeo hoc quod l. l. coniecit commemorasse: 'Spondet enim qui dicit a sua sponte: Spondeo. Qui spopondit, est Sponsor; qui item ut faciat, obligatur sponsu, Consponsus. hoc Naevius significat cum ait Consponsi.' Thilo in recensenda illa Spengelii commentatione[3]) hoc ab eo evidenter coniectum esse existimat; id quod nos quoque putamus, sed tamen non minus bene aliquis suspicetur 'qui ut idem.'[4])

Sed ne ille quidem unus locus, ubi 'e certa codicum lectura'[5]) editiones hanc particulam exhibent, qui est IX, § 48, p. 490, eam prae se ferre debet. Etenim Henricus Jordanus, de codice Florentino a Wilmannsio certior factus, in symbol. crit. p. 321 eam deesse in illo codice docet, quod idem confirmat Ad. Grothius.[6])

Itaque in libris de l. l. nusquam haec particula legitur; in libris autem de r. r. scriptis saepius in usu versatur. Et Grossmannus quidem 'Quatuordecim' inquit 'nisi fallor locis 'quidem' codices praebent, etiamsi in Schneideri scriptorum rei rusticae editione ter 'quidem' reiectum est'. Quos locos quod vir doctus non modo exscripsit, sed ne numeris quidem allatis nobis aperuit,

---

1) cfr. mus. rhen. VI. (a. 1839) p. 112 = opusc. p. 168 sqq.

2) act. acad. Mon l. c. p. 457 sqq.

3) Nov. annal. philol. a. 1855. p. 528.

4) Sic Brunsius Font. jur. Rom. antiq. ed. IV, p. 305. Scribit enim: „Qui spopondit, est sponsor; qui ut idem faciat, obligatur sponsus, est consponsus.“

5) Sic Grossmannus.

6) l. l. p. 56.

mihi non recte fecisse videtur: in corruptissimis enim his de r. r. libris locum pro se quemque tractandum esse censeo. Quod ego nunc faciam; atque primum de tribus his locis disseram, ubi Grossmanno 'causa non esse videtur, cur editores particulam pronomini relativo oppositam reiecerint, praesertim quidem cum omnibus locis et codices has lectiones praebeant et verbis clara et bona subiciatur sententia'. Qui loci sunt III 7, 6; 7, 7; 16, 5.

E quibus ille qui est III 7, 6 in editionibus sic legitur: 'Item quae foetae sunt, in certum locum ut disclusum ab aliis rete habeant, quo transferantur, e quo foras evocare possint matres. Quod faciunt duabus de causis'.

Quo loco Grossmannus post 'quod' vocabulum 'quidem' inseri vult, quod, ut iterum eius verba ponam, 'codices hanc lectionem praebeant'. At qui codices? Mihi quidem nihil aliud inspexisse videtur quam quem nos vidimus Gesneri (vel Schneideri) criticum apparatum. In quo cum nulla codicum auctoritate, sed interpolatarum editionum quae ante Victorium circumferebantur libidine[1]) 'quidem' niti annotatum sit, nos cum Victorio ceterisque omnibus editoribus 'quidem' particulam hoc loco movemus. Alter ille locus, ubi editores hanc particulam Grossmanno iniuria reiecisse videntur, est III 7, 7; quem Gesnerus exhibet sic: 'Quos (sc. corvos et accipitres) columbarii interficere solent duabus virgis viscatis defixis in terram, inter se curvatis, cum inter eas posuerint obligatum animal, quod item petere soleant accipitres, qui ita decipiuntur, cum se obleverunt visco'. Qua in lectione vir ille doctus post 'qui' pronomen hanc particulam ponendam esse censet, quam habent editiones (non codices), quae sunt Ien-

1) De his codicibus v. Keil. l. c. p. 22.

soniana, Bononiensis, Regiensis; e quibus illam a Georgio Merula, interpolatae scripturae principe factam esse, duas ceteras ex ea editione originem duxisse docet Keilius (l. c. p. 21). Quare ne hic quidem Grossmanni iudicium sequimur. — Tertius denique ille locus est III, 16, 5: 'Mel, dulcissimum quod est, et diis et hominibus est acceptum'. Post 'quod' vocem qui ante Victorium hos de r. r. libros ediderunt, particulam 'quidem' posuerunt; quam esse interpolatam ego mihi persuasi. — Sed iam cetera huius particulae exempla percenseamus. Itaque legitur 'et quidem' I, 2, 16; II, 1, 12; III, 7, 16. — I, 7, 9 (Cato quidem). III, 6, 6 (ut quidem Albutius aiebat). III, 12, 7 (tria genera . . habere oportet, duo quidem . . te habere puto). III, 13, 1 (apros quidem). I, 22, 4 (minus multa quidem alii sc. quam Cato). II, 5, 2 In quo quidem meae partes). I, 59, 2 (praesertim quidem cum).[1])

Ut 'quidem' particula, sic etiam ea quae est **Siquidem** in libris de l. l. deest; nam qui unus invenitur locus in Spengelii editione V, p. 31, is in codice Flor. sic legitur: 'vias quidem iter': de quo loco supra diximus. — Libri de r. r. duo praebent exempla, e quibus unum 'veterem huius particulae significationem, alterum hanc ostendit quam Cicero maxime ei imposuit.'[2]) Illo igitur loco qui est II, 11, 1, 'siquidem' nihil aliud est nisi 'si' pressum;[3]) alter eandem huius particulae

---

1) In fragmentis huius particulae exemplum inveni Sat. Men. hoc unum p. 211, 550. Nam de altero quod est ibid. p. 186, 277 dubitatio relinquitur; cfr. Riesium in ed. sat. p. 163, 13. E ceteris fragmentis habet sola epistula ad Fufium (apud Riesium l. c. p. 259): „si hodie noenum venis, cras quidem . . veneris“.

2) Sic Grossmannus p. 10. 14. 16.

3) 'Quoniam promissa absolvimus, eamus! Siquidem, inquam, adieceritis de . . fructu'.

significationem sibi vindicat quae est Graecae formulae εἴγε, i. e. vim argumentativam vel confirmativam postulat (ut 'quoniam'). Est autem II, 5, 13.[1] — De particula quae est

Equidem libri de l. l. et de r. r. scripti ita inter se dissentiunt, ut in illis usus Ciceronianus valeat, particula igitur significet 'ego quidem': quae quamquam semel tantum occurrit (IX, § 32 p. 477), tamen de hoc loco nihil est dubitandum.[2] Aliter res se habet in rerum rusticarum libris: hoc enim uno loco, ubi legitur (I, 5, 1) particula ad tertiam verbi pluralis personam transfertur sic: 'Equidem innumerabiles mihi videntur'.[3] Quae omnia ante me praeceptor meus Henricus Jordanus copiose docteque in quaestione de huius particulae usu docuit; quae inest in symbol. crit. p. 321.

Sed de 'Quidem' particulae usu Varroniano ne quid relinquamus, hoc addi oportet, formula quae est ne — quidem, et in libris de l. l. et in illis de r. r. scriptis Varronem usum esse. Exempla conquisivi e libris de l. l. haec: VIII, § 60 p. 436 'Ne in his quidem — servatur analogia'. ubi haec formula non ascensum a minore ad maius quoddam significat, sed potius res aequales inter se conectit. Vertimus igitur 'auch nicht'. Hoc idem sibi vult formula IX, § 51 p. 492 quem locum in codice Flor. scriptum habemus sic: 'non solum in vocabulis literarum haec non requirenda analogia, sed in syllaba quidem ulla, quod dicimus hoc ba, huius ba'.[4]

---

1) 'Mas an femina sit concepta significat descensu taurus, cum iniit (P. 'init'): siquidem (P. 'si quod'), si mas est, in dexteriorem partem abit: si femina, in sinisteriorem'.

2) Dubitat cum Popma Handius in Turs. vol. II, p. 425.

3) Georgii Merulae libidini debetur 'equidem' I, 1, 3 extr.

4) Sic cod. Flor. (cfr. Groth. l. c. p. 57 n. 351), non quod Spengel. exhibet 'hoc ha'.

Deest vocula 'ne', quam neglegentia librarii omissam puto cum Spengelio Muelleroque.[1])

In libris de r. r. hanc formulam videre licet his locis: I, 1, 3 (ne dum vivo quidem); 2, 4 (ne navigari quidem posse dicunt): quibus in locis cum elevatione quadam haec formula dicta ac vertenda est 'nicht einmal'. Eo autem loco qui est I, 2, 11 ('Non modo ovum illud sublatum est, quod ludis circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis, sed ne illud quidem ovum vidimus, quod in ceriali pompa solet esse primum') quid sibi velit formula possit disceptari. Mihi quidem verba construenda esse videntur sic: 'Non modo illud ovum non sublatum est —, sed etiam non illud vidimus quod . .'[2])

---

1) Coniectura restituit hanc formulam Nicolaus Madvicus (cfr. ad Cic. de fin. (ed. II.) p. 808 n.) IX, § 71 p 508: 'sed ne in his vocabulis ['quidem' inser. Madv.], quae declinantur'; quod forsitan recte scripserit. Muellerus pro 'ne' habet 'nec', quod intelligit 'ne — quidem'. Sed nunquam ita noster locutus est; de loco enim, qu est de r. r. I, 45, 2 vide Keilium l. c. p. 31.

2) Hic mihi liceat afferre locum, qui est de l. l. IX, § 33 p. 478 ('Qui negant esse rationem analogiae, non vident naturam non solum orationis, sed etiam mundi'). Quae verborum structura quamquam non sine ratione admissa est, tamen insolentiae speciem prae se ferre dicenda est. Nos quidem cum Cicerone sic loquimur: 'non solum [non] orationis, sed ne mundi quidem vident naturam'. — Formulam quae est '**Non — quoque**', adhibuit noster locis his: De l. l. VIII, § 48 p. 427 'Non est ergo in his quoque analogia' cfr. Madvig. l. c. p 812 n. 2. IX, § 47 p. 489 in codicibus leguntur haec: 'Rogant, si similitudo sit sequenda, cur malimus habere lectos alios ex ebore, alios ex testudine, sic item genere aliquo alio. Ad quae dico non dissimilitudines quoque sequi saepe; idque (sic recte Muellerus; codd. 'itaque') ex eadem supellectili licet videre'. In quibus vitium latere apparet; itaque ut cum iis, quae sequuntur consentiant haec, Henricus Stephanus scribendum proponit: 'dico nos similitudines . .' C O. Muellerus probabilius putat quod ipse repperit 'non dissimilitudines solum nos, sed similitudines quoque sequi saepe'. Sed primum semper dicit noster 'non solum

Formulam quae est **Sic item** in libris de l. l. saepius, numquam in libris de r. r. Varroni placuisse, idem ille Grossmannus[1]) invenit. Atque exempla eius formulae multa ubi inveniantur numeris notavit, nec tamen omnia. Quare ego praesertim cum est nonnulla in illius viri dissertatione desint et ratio qua ille numeros affert ea sit, ut non facile exempla invenias;[2]) denique, quia sine ullo discrimine ac iudicio locos confundit, qui usus sit illius formulae, nequaquam possit cognosci, exempla iterum pro se quodque ante oculos nunc proponam.

a) Itaque e quinto de l. l. libro locus qui est § 168, p. 169, in codicibus traditur sic: 'Graeca sunt Peristromata et Peripetasmata sic aliquid item convivii causa ibi.'

Mendosa haec iam veteribus Varronis interpretibus

(modo, tantum) — sed etiam', numquam 'sed quoque' (quare et de l. l. IX, § 47 Muellerus peccavit); tum vero multo minore molimine locum correxisse mihi videor sic: 'dico nos non dissimilitudines quoque sequi saepe'. Unus in his de l. l. libris restat huiusmodi locus hic: X, § 65 p 581 'Res quae verbis dicuntur proportione neque a similitudine quoque vocum declinatus habent'. — In libris de r. r. hac formula Varro non utitur; nam qui praebent eam loci I, 2, 28; III, 7, 11; 16, 15 — in duobus illis legimus 'quasi vero non . . quoque', in tertio 'non quo non . . quoque' —, ibi negationem non ad particulam 'quoque' referendam esse apparet.

Ut de formula, quae est 'quoque — non' statim adiungam, quae et ipsa non legitur nisi in libris de l. l., exempla eius inveni haec: VIIII, § 23 p. 471 'Si usque quaque non esset analogia, tum sequebatur, ut in verbis quoque non esset', cfr. Kuehner. Gr. Lat. II, 2 p. 667 n 3. cfr. IX, § 32 p. 477. VIII, § 30 p. 413; § 57 p. 433; IX, § 115 p. 542 ('aliud debet praestare populus, aliud e populo singuli homines. Neque id mirum est, cum singuli quoque non sint eodem iure').

1) l. c. p. 15 sq.

2) Paginas hic citat editionis Bipontinae, illic eius quam Stephanus curavit (cfr. Spengel. Praef. p. XXXVI sq.)

esse videbantur, qui omnes in vocabulo tantum quod est 'aliquid' mendum inesse putabant. Unus Scaligerus in iis quae sunt 'causa ibi' offendens mutandam esse codicum lectionem coniecit sic: 'in conviviis ut gausape.'

Mirare ingenii praestantiam et doctrinae quam magnam copiam! Nihil habes quod contra remedium illud proferas, nisi forte hanc ut alias multas illius viri coniecturas non necessarias et nimia potius ingenii elegantia audaciaque factas esse existimas. Id quod Leonardus Spengelius arbitratur[1]) lacunam hoc loco statuens ac legendum proponens hoc: 'sic alia; item convivii causa ibi multa . . .'

Ego h. l. lacunam et quam idem Spengelius credit transpositionem locorum (de qua l. c. accuratius disseruit) statuendam esse mihi non persuasi;[2]) quare primum vocabulum 'multa' quippe quod cum ceteris quae sequuntur, perbene conveniat, cum his coniungendum esse censeo.[3]) Tum vero reliqua verba e Spengelii coniectura mihi non recte se habere videntur; etenim cum peristromata et peripetasmata ad 'causam convivii' i. e. ad lecti convivalis apparatum pertineant, ego non video qui Varro his vocabulis addere possit 'item convivii causa ibi'.[4])

Addere debuit id quod ego legendum propono, 'sic reliqua item convivii ut gausape'.

---

1) cfr. libellum cui inscripsit 'Emendationum Varronianarum specimen I. (Monaci 1830) p. 16.

2) cfr. Muellerum ad V, § 105.

3) Accedit 'Prisciani testimonium vel auctoris quicunque est de figuris numerorum, qui locum integrum de argento exhibuit. incipit 'Multa pecuniae . . .' (Spengel. l. c. p. 16, n. 16.) cfr. Hultsch, Metrol. script. rel. II. (1866) p. 49.

4) 'Ibi' quid sibi velit nescio; certe non cum Spengelio referendum est ad domum 'in qua multa vocabula convivii causa inventa sunt'.

Non igitur multo aliter me coniecisse vides atque O. Muellerum scribentem: 'sic alia quaedam convivi, ut gausape'. Et particulam 'ut' cum praesertim syllabam quae est — 'vi' sequatur, facillime a librario omitti potuisse quis neget? Pronomen autem 'quaedam', quod Muellerus coniecit, ideo prorsus reicio, quod formula 'alius quidam' apud Varronem omnino nusquam legitur. Sic enim cum voce 'alius' conjunctum legimus apud nostrum saepissime pronomen 'aliquis' vel 'quis'; quae exempla longum est enumerare.[1]) Itaque ego et linguae Varronis et eius animo, quem, ut est homo vere Romanus, **totum** lecti convivalis apparatum in pristinae simplicitatis locum e Graecia successisse credentem facio,[2]) satisfacere mihi videor illa mea lectione: 'sic reliqua item convivii ut gausape.[3])

Reliqua huius dictionis exempla sunt haec:

VI, § 55, p. 232 'Hinc etiam Famigerabile et sic compositicia alia item'.

IX, § 87, p. 521 'et sic deinceps multitudinis in duobus actibus reliqui omnes item numeri'.

IX, § 47, p. 489 'lectos alios ex ebore, alios ex testudine, sic item genere aliquo alio'.

X, § 64, p. 580 'vocantur aliae harmonicae, sic item aliae nominibus aliis.'

VI, § 78, p. 254 'aliud esse vestimentum, aliud

---

1) Nonnulla affert C. F. W. Muellerus in annal. gymnas. vol. XIX (a. 1865) p. 794 sq. — Locutionis quae est 'alius quis' exempla afferam multa cum de particula 'Ve' disputabo.

2) Veteres Romanos epulatos esse sedentes, postea discumbendi morem e Graecia in Italiam pervenisse commemorat Varro in libris de gente p. R. cfr. Kettner. de vita p. R. p. 25, 28.

3) De genitivo 'convivii' post adiectivum 'reliqua' posito cfr. IX, § 18, p. 468 (vitiosa artificum) et Kühner. Gr. Lat. II, 1, § 84, n. 11.

vas, sic item quae fiunt apud fabros, fictores, item alios alia.'[1])

b) VIII, § 68 p. 442 'Sic item, quoniam simile est recto casu Sciurus Lupus Lepus, rogant cur non dicatur proportione . . sciuro lupo lepo'. cfr. X, § 39 p. 567 'si homines sustuleris, sodalis sustuleris; si sodalis, sodalitatem. Sic item, si sustuleris λόγον, sustuleris analogon; si id, analogian'. — ibid. § 41 p. 568: 'in nummis . . sic est ad unum victoriatum denarius, sicut ad alterum victoriatum alter denarius. Sic item in aliis rebus omnibus proportione dicuntur ea.[2])

c) VIII, § 78 p. 450 'Ut . . dicimus —, sic diceremus item, cum pervenissemus ad summum'.

IX, § 78 p. 514 'Ut signa . . . in . . membris eorum esse possunt analogiae: sic in vocabulis casuum possunt item fieri'.

IX, § 103 p. 532 'Ut illic fit, sic hic item acciderit'.[3])

IX, § 79 p. 515 'nam[4]) ut, si in Alexandri statua imposueris caput Philippi, membra conveniant[5]) ad ra-

---

1) Muellerus in voce 'alia' nescio qua de causa offendens e codice Parisino (quem b littera notavit) in contextu posuit 'alios apud' 'hanc praepositionis 'apud' anastrophen a Tacito ex antiquiore lingua repetitam' putans. Fatetur tamen, hunc Varronis locum ceteris duriorem esse, quare paulo cautius non in contextu, sed in commentario illud ponere debuit. Sed neque ullum illius anastrophes apud nostrum vestigium extat neque omnino coniectura opus esse videtur, locus autem ita explicandus ut verba in hunc modum coniungas: aliud esse vestimentum, aliud vas, sic item (sc. esse) alia, quae fiunt apud fabros, fictores, item (sc. apud) alios.

2) sic. cod. F.; cfr. Groth. p. 65. n. 417. In his tribus exemplis formula noster utitur ad nova transiturus.

3) De hoc loco vexatissimo cum alii disseruerunt tum C. F. W. Muellerus (l. c. p. 424) et Nicolaus Madvicus in Advers. crit. vol. II, p. 177.

4) codd. 'non'.

5) sic F.; cf. Groth. p. 59 n. 372.

tionem, sic[1]) et ad Alexandri membrorum simulacrum caput quod respondeat, item sit' quae verba, a C. O. Muellero admodum immutata, C. F. W. Muellerus genuina atque in hunc modum construenda esse arbitratur: 'sic et item sit, si imposueris caput, quod respondeat ad simulacrum membrorum'.[2]) Brevitatem vero loquendi qua noster e Muelleri sententia hic utitur, idem vir doctus defendere studet allato exemplo hoc X, § 41 p. 567 'Haec fiunt in dissimilibus rebus, ut in numeris si contuleris cum uno duo, sic cum decem viginti.' ('i. e. ut fit si contuleris —, sic fit si contuleris'). At longe aliud hoc esse exemplum neque ulla brevitatis specie insigne, quis non videt? 'Sic' enim particula cum ut saepe, ita hic quoque idem valeat quod 'et', quae brevitas apparet in hac sententia: 'Haec fiunt in dissimilibus rebus, ut in numeris, si contuleris cum uno duo et cum decem viginti'?[3]) Itaque ad illam brevitatem confirmandam hunc locum nihil valere patet; quare ego de sensu quidem verborum Muellerum recte sensisse credo,[4]) de constructione ei non assentior, et, si proponere licet 'si' potius particulam contextui inserendam esse puto sic: 'sic et, si ad Alexandri membrorum simulacrum caput quod respondeat (sc. imposueris), item sit'.

---

1) 'sit' F.

2) l. c. p. 424.

3) Varro enim, id quod verba docent quae sunt 'Haec fiunt in dissimilibus rebus', (quae quomodo C. F. Muellerus intelligat, ego non perspicio; neque magis intelligo, quomodo haec verba cum iis quae sequuntur 'ut in numeris si . . . .' conectat, nec quid valeant illa quae explicandi causa profert 'ut fit (?) si contuleris—, sic fit si contuleris') nunc exemplis demonstraturus est quid sit analogon, (1 : 2; 10 : 20) quid analogia (1 : 2 = 10 : 20) ac primum 'in dissimilibus rebus, ut in numeris' **utrumque** fieri ostendit.

4) Vult igitur Varro dicere haec: 'Membra in statua Alexandri inter se conveniunt, sive Philippi sive Alexandri caput in ea imposueris'

d) Ab omnibus his exemplis longe differt illud quod est IX, § 26 p. 473: 'An hanc analogiam ad diem servant, ad mensem non item alios motus, sic item cum habeant alios inter se convenientes —?'

Locum dedi e codicum scriptura, ex interpunctione Spengelii; qui quem sensum huic sententiae inesse voluerit, ego non video. Interpunctione autem mutata lenique medicina adhibita locum scribi posse existimo sic:

alios motus sic item cum habeant (sc. aestus) aliis inter se convenientes.

Comparantur igitur ut singula accuratius exponam, aestus qui per diem quique per mensis uniuscuiusque tempus quoddam fiunt, ita, ut hic illic motus eorum alii aliis inter se convenire, i. e. ut ad diem, 'sic item' ad mensem analogiae legem servare dicantur.[1]

Sed haec hactenus; nunc particulae quae est **Sicut** qualis sit usus Varronianus agite inquiramus. Quae in libris de l. l. saepe legitur, in libris de r. r. quae duo exempla editiones praebent, unum omni prorsus codicum auctoritate caret, alterum ita intelligendum est, ut voca-

---

quae copiosius et durius (ut ei proprium est) exponit sic: 'Ut membra Alexandri in statua inter se conveniunt, si imposueris in ea caput Philippi, sic proportio eadem est (= sic et item est' i. e. analogia eo nec maior fit nec minor), si caput quod respondeat ad simulacrum membrorum addideris . . .' Verbis fere iisdem me usum esse atque Muellerum (l. c.) quaeso ignoscas!

1) Formula quae est 'item sic' in libris de l. l. legitur VI, § 69 p. 246: 'Ab eadem Sponte . . sponsor et sponsa, item sic alia' (cf. Spengel. Act. acad. Mon. l. c. p. 458); in libris de r. r. I, 22, 5 'Item sic de ferramentorum varietate scribit permulta'.

Quam denique formulam Grossmannus (l. c. p. 16) e libr. de l. l. IX, § 103 p. 532 citat 'item sicut', eam pro formula ego non habeo; legendum potius censeo aut 'item sic, ut', aut quod mihi praestare videtur 'item, sicut illic, caput suum habebit'. 'Item' enim particula cum conectendis inter se enuntiatis inserviat, nequaquam cum 'sicut' ad formulam coalescere debet.

bulum in partes suas dissolvas. Sed de his infra. Nunc qui loci in libris de l. l. hoc verbum prae se ferant videamus. Itaque legimus V, § 105 p. 108 'Pannarium, ubi id servabant, sicut granarium ubi granum frumenti condebant;' — VI, § 10 p. 192 (qui locus est lacunosus) '... ab sole, sicut Mensis a lunae motu dictus'. — VI. § 76 p. 252 'ornamentum, quod sicut olim ornamentum ut scenici plerique dicunt'.[1]) — VIII, § 51 p. 429 ('in muliebri sicut in virili dicitur Eius'); § 55 p. 432 'Sicut est ab uno Uni, ab[2]) tribus Trini, a quattuor Quadrini,[3]) sic a duobus Duini, non Bini diceretur'. — § 60 p. 436 'Sicut enim cantitantes, Seditantes non dicuntur.' — § 72 p. 445 extr. 'est sicut — Quibus, Hibus'. — IX, § 46 p. 489 'sicut abacum argento ornari —, sic orationem'.

De loco qui est IX. § 103 p. 532, supra dixi. Is autem qui est IX, § 113 p. 540, in codicibus male legitur sic: 'quod alia inter se alia sunt sicut in animalibus dissimilia sunt ut equus bos ovis homo item alia et in unoquoque horum genere inter se similia et innumerabilia'. De quo loco Spengelius 'Recte' inquit 'veteres omnes 'dissimilia sunt' habent, verba enim 'alia sunt' nisi quaedam exciderunt, eliminanda.' Excidisse autem verba quaedam existimat C. O. Muellerus atque in contextu ponit haec: 'quod alia inter se similia, alia dissimilia sunt.' Ego cum talibus verborum excidiis saepe hos libros corruptos esse haud ignorem nec non hic illic editores aliosque homines doctos de corruptelis sic sanandis recte iudicasse credam, tamen si ea considero quae

---

1) Satis habeo hunc locum corruptum attulisse; de remedio adhibendo ego non minus haesito quam qui nuper copiose de eo disseruit Henricus Jordanus (Symbol. crit. p, 138, sq).

2) cfr. Groth. p. 51,

3) cfr. Groth. l. c. n. 309.

praecedunt 'in omnibus partibus mundi utraque natura inest' (i. e. anomalia et analogia), hoc mihi Muelleri inventum, ut quod nihil ad illa verba novi adiciat, repudiandum esse videtur. Contra si Spengelio assentiaris et verba quae sunt 'quod alia inter se . . .' cum exemplis sequentibus artissime coniungas, et orationem progredi et in singulis verbis nihil inesse offensionis quis neget? Tamen ne in hac quidem coniectura acquiesco; ego potius verba 'alia sunt' transponenda, cetera autem interpungenda esse arbitror sic: 'quod alia inter se sicut in animalibus dissimilia sunt, ut equus bos ovis homo item alia, alia sunt et in unoquoque horum genere inter se similia et innumerabilia'.[1])

E decimo de l. l. libro huius vocabuli exempla extant haec: § 41, p. 568 'in nummis . . sic est ad unum victoriatum denarius, sicut ad alterum victoriatum alter denarius'. Sed 'sicut' non codicum auctoritati, sed vulgatae lectioni debetur, quare num recte editores nostri eam in contextu collocaverint, mihi dubitare licet. Ego quidem quam codices exhibent 'si' particulam aliter mutans locum sic scribendum propono: 'in nummis . . sicut (codd. 'sic est') ad unum victoriatum denarius, sic ('si' codd.) ad alterum victoriatum alter denarius'. Quae lectio his mihi de causis praeferenda esse videtur. Primum enim in omnibus quas Varro hic affert analogiae formulis, et in iis quas e numeris et in illis quas e progenie sumit, enuntiatum principale apodosis est comparationis. Quam verborum structuram ut faceret, in numerorum formulis quasi natura coactus est, quod in harum comparationum genere, ubi a simplici ad compo-

1) Notandum tamen, 'sicut' hoc uno loco afferendo exemplo inservire atque valere 'exempli gratia', quo munere, ut apud alios, sic apud nostrum saepissime 'ut' particula fungitur.

situm vel ab uno ad multiplum transitur, simplex in protasi collocari oportet.[1]) Quae cum ita sint ac ratio prorsus postulet, in hac comparatione ut haec quae mihi placet verborum fiat structura — sententia enim relativa, ea quae a 'sicut' particula incipit, ut quae mente quoddam prius conceptum contineat, ante demonstrativam habeat locum oportet —, hanc ego meam coniecturam illi quam editores in contextum receperunt, anteponere non dubito.

In eodem hoc libro X. si Spengelium sequimur, hanc particulam praebet locus qui est § 45, p. 570: 'Unum . . . sic est: — ut unum ad duo, sic decem ad viginti. Alterum . .: sicut est unum ad duo, sic duo ad quattuor'. C. O. Muellerus rectius mihi scribere videtur: 'sic: ut . . .'. — Eadem ratione hi editores differunt ibid. § 49, p. 573. Spengelius enim scribit: 'In oratione quoque nonnumquam reperietur, sicut Diomedes confertur —, sic dicitur ab Hercules Herculi et Herculibus'; ubi eundem Muellerum rectius scripsisse puto sic: 'In oratione quoque nonnunquam reperietur, sic: ut —, sic . . .'.[2]) —

Venio ad Varronis de r. r. libros, in quibus ille qui locus est I, 23, 5 'Idoneus locus eligendus, ubi facias salictum et arundinetum, sic alia quae humidum locum quaerunt. Contra ubi segetes frumentarias, ubi[3]) fabam potissimum seras. Item alia quae arida loca sequuntur, sicut umbrosis locis alia seras —, et apricis ut ibi seras

---

1) cfr. sententias 'nam quam rationem duo ad unum habent, eandem habent viginti ad decem' — 'si contuleris cum uno duo, sic cum decem viginti'.

2) Librorum de l. l. reliquiae 'sicut' uno hoc loco comprobant libri tertii: 'Sicut nocet panthera et lea' (ap. Wilm. p. 150, 6).

3) Sic Politianus; 'ibi' Gesner.

violam et hortos facias' plane aliter interpungendus esse mihi videtur. Nam Varro cum alia in humido loco seri oportere dixisset, nunc alia commemorat 'quae arida loca sequuntur' his verbis: 'Contra ubi segetes frumentarias, ubi fabam potissimum seras, item alia quae arida loca sequuntur'. Jam vero hoc discrimine facto ad aliud transit discrimen quod est inter umbrosa loca et aprica; quare post verbum 'sequuntur' majore interpunctione incidendum, 'sicut' autem mutandum esse in 'sic ut' ego mihi persuasi. 'Sic' enim vocula (nunquam 'sicut') ut in enumerandis similis naturae notionibus saepissime adhibetur et prorsus idem valet quod 'et', sic in copulandis sententiis, iis quae simile aliquid continent — hoc quidem loco regionum discrimina enumerantur — creberrime locum habet ac verti potest particula 'porro'. Itaque totum hunc locum legendum propono sic: 'Idoneus locus eligendus, ubi facias salictum et arundinetum, sic alia quae humidum locum quaerunt; contra ubi segetes frumentarias, ubi fabam potissimum seras, item alia quae arida loca sequuntur. Sic ut umbrosis locis alia seras, ut corruda —, et apricis[1], ut ibi seras violam et hortos facias.' — Alterum huius particulae exemplum quod extat III, 9. 21, nullo codicum fundamento nititur. Codices enim, quos Gesnerus sequitur, sic: 'Si in farciendo nimio cibo fastidiunt, remittendum in datione pro portione ac decem primis processit, in posterioribus ut deminuat eadem ratione.' Pro 'ac' particula veteres quaedam editiones, interpolatae scilicet, 'sicut' exhibent, id quod Schneiderus temere amplexus est. 'Sicut' enim nulla ratione hic ferri potest, 'ac' vero post verbum 'pro porportione' non minus recte se habet quam post illa quae

---

1) 'et apricis' om. Pol.

sunt 'aequus, similis, proinde' et quae cetera sunt huiusmodi verba.[1])

Vero particula in libris de l. l. omnino non extat, e libris de r. r. exempla enumero omnia, haec:

I 2, 2 (Nos vero). I 2,3 (Ego vero); cfr. 2,13; II 1,2; 2,9; 8,1; III 2,3 (?); 2,18; 4,1; 13,2.

His in exemplis omnibus nova quaedam persona in sermonem inducitur, quae illam particulam in initio orationis suae collocat.[2]) Cum 'quasi' particula iunctam videmus hanc nostram his locis: I 2,28 (quasi vero non); cf. III 7,11. Cum 'si' vocabulo conexa est I 65,2; III 16,34; Reliqua habes exempla haece: I 57,2; II 1,9; 5,1; 9,16; III 12,2.

De loco qui est I 19 extr., vide quae supra disserui.[3])

Autem particula in libris de l. l. si codices sequimur, quattuor vel quinque exemplis comprobatur, libros de r. r. saepissime occupavit. Atque in his satis habeo exempla ubi extent significasse; sunt autem haec:

I 4,3; 9,6; 9,7; 18,5; 27,3; 34,2; 39,1; 48,1. 2. 3. II 1,22; 1,23; 2,4; 5,17; 10,6; 11,1. III 10,6; 11,1; 15,1; 17,2; 17,9.

---

1) In fragmentis antiq. rer. div. bis inveni 'sicut — ita' (ap. Merkel. p. 106, 2; p. 186), quibus in locis 'ita' particulam esse vides comparativam. Alibi (fere) nusquam a nostro sic poni infra ostendam. — 'Velut' particulae apud Varronem vestigium est nullum.

2) cf. Hand. s. v. 'equidem' Turs. II, 425.

3) In fragmentis particulam inveni iis quae supersunt satirarum: cfr. p. 191, 337 (?); p. 199, 414; 212, 558. — De vit. pop. Rom. l. c. p. 26, 35 num a Kettnero particula recte sit restituta vehementer dubito. — Habes igitur in libris de r. r. ad sententiam confirmandam particulam 'quidem', habes in iisdem his libris ad amplificandam maxime personam eius qui loquitur, particulam 'vero'; itaque in libris de l. l. cum desit utraque, Varronem si suam ipsius opinionem aliis opponit, nihil aliud dicentem videmus nisi pronomen 'ego'. cfr. locos qui sunt V § 83. VI § 33. 34. IX § 34. X § 20, alios. v. H. Iordan. Symbol. crit. p. 321.

In libris de l. l. qui est locus V § 120 p. 125 mihi quidem est offensioni. Varro enim cum aliorum verborum origines indicasset, hoc loco sic pergit: 'Magidam autem aut Langulam alterum a magnitudine, alterum a latitudine finxerunt.'[1]) At numquam in tali enumeratione verborum noster hac particula usus est, si quidem fere numquam ulla usus particula verborum veriloquia inter se conectit. Itaque hanc ego recte omissam esse puto in vulgata lectione recteque eam secutos esse Vertranium et Scioppium.[2])

IX § 33 p. 478 optimorum librorum editionumque plurimarum consensu haec particula legitur sic: 'Quare qui negant —, non vident —; qui autem vident —, pugnant.'

IX § 16 p. 466 e Florentino primus particulam restituit Grothius[3]) itaque legimus: 'Cum sint in[4]) consuetudine contra rationem alia verba ita, ut ea facile tolli possint, alia ut videantur esse fixa: quae leviter haerent ac sine offensione commutari possint,[5]) statim[6]) ad rationem corrigi oportet; quae autem[7]) sunt ita, ut in praesentia corrigere nequeas, quin ita dicas, his oportet si possis non uti.'[8])

---

1) Extat hic locus in ea codicis parte, quam sola Victorii collatione novimus; post Victorii aetatem totus quaternio excissus est.

2) Nec Spengelius nec Muellerus in ea offendit.

3) l. c. p. 54 n. 334.

4) 'in' om. F.

5) C. F. W. Muellerus l. c. p. 869: 'Hier ist entweder possunt oder wahrscheinlicher ut possint zu lesen.'

6) Codd. 'si enim'. 'Statim' C. O. Muelleri est una omnium pulcherrima emendatio; cf. Spengel. Act. acad. Mon. l. c. p. 448 not.

7) Ante Grothium pro 'autem' codicis Florentini lectio ferebatur 'tum', quam lectionem Spengelius in contextu habet. C. O. Muellerus coniecit 'tamen'.

8) De hoc loco priusquam Grothius illum libellum edidisset,

De loco qui est IX, § 63, p. 501 'Qui autem . . reprehendunt . . ., analogiae fundamentum esse obliviscuntur naturam' modo dixi.

Pro 'autem' particula 'tum' tradita est in cod. Flor. IX, § 114, p. 541; Spengelius quidem et reliqui fere omnes editores ceterorum librorum lectionem secuti in contextu habent 'autem', sic: 'Fatendum illud, quoque modo[1]) analogiam sequi nos debere universos, singulos autem,[2]) praeterquam in quibus verbis offensura sit consuetudo communis'.

Et recte quidem fecisse judicandus est Spengelius nec minus Muellerus, si Grothius alioquin hanc legem secutus, ut 'si qua novanda viderentur in eo contextu Varroniano, quem Spengeliana editio exhibet, verba restituenda crassioribus litteris distingueret',[3]) hanc Spengelii lectionem de industria silentio transmiserit. Tum enim concludendum est, eam genuinam esse codicis Florentini scripturam.[4])

---

in hunc modum disputaveram: 'Tamen' Muellerum non recte coniecisse mihi persuasi; haec enim particula apud Varronem numquam id valet, ut et opponat et continuet orationem, qualem hic locus particulam postulat. Itaque ego non dubito scribere 'autem' (vel potius e vulgata lectione recipere) cum praesertim simillimam verborum structuram videre liceat IX, § 33, p. 478; quem locum supra laudavi. Deinde moneo et Spengelium et (tacite) Muellerum IX, § 63, p. 501 extr. pro ea quam codicis Florentini lectionem putaverunt 'tum' (re vera enim 'autem' esse idem Grothius ostendit p. 58) legere 'autem', sic: 'Qui autem . . . .'

1) Sic Muellerus; cod. F. 'quo quando'; Spengel. 'quodammodo'.

2) 'tum' codd. F. et H. — 'Hunc locum mendo non carere H. Stephanus adnotat in Append. p. 98, item p. 95. Exciderunt quaedam' Spengel.

3) l. c. p. 13.

4) Ego de 'autem' particula dubito et sensu quidem aptiorem esse puto particulam 'etiam': quam ego commendare non dubito et

Sed hoc loco cum editores nostri de 'autem' particula inter se consentiant, alio quodam qui est IX, § 34, p. 479 magna codicum editorumque et veterum et nostrorum erat disceptatio usque ad Grothium. Is enim non 'cum', sed 'autem' esse codicis Florentini lectionem docuit.[1]) Scribimus igitur h. l. 'Qui autem', ita ut omnibus huius particulae locis (qui sunt IX, § 33, p. 478; § 34, p. 479; § 16, p. 466; § 63, p. 501) relativo pronomini adhaereat.[2]) —

Etenim in libris de r. r. saepius invenitur, in libris de l. l. quae occurrunt exempla ad unum omnia non iure particulam prae se ferunt. Itaque V, § 163, p. 163 in codicibus est 'Sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naevius etenim loca ubi ea sic dicta'.

Spengelius facillima mutatione conicit scribendum esse: — 'quod in nemoribus Naeviis; Naevii etenim loca ubi ea, sic dicta', quae lectio C. O. Muellero ita placuit, ut in contextum reciperet. At Madvicus[3]) legendum censet: 'Sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naeviis; etenim loca, ubi ea, sic dicta'. 'Spengelii enim,' inquit, 'et Muelleri correctio minus facilis est et 'etenim' prave (in prosa oratione) altero loco habet; vide, si opus est, opusc. acad. I, p. 390. n.' Quam eandem correctionem invenit Henricus Jordanus[4]). — At enuntiatum

cum ea considero quae IX, §§ 5, 6. exponuntur et locum intueor qui est IX, § 18 extr. ('Sic populus facere debet, etiam singuli sine offensione quod fiat populi'.) De hoc particulae 'etiam' usu supra dixi.

1) p. 55. n. 339. — cod. H. 'aut'; G. 'autem'.

2) Deperditorum librorum fragmenta particulam praebent haec: De vita p. R. l. c. p. 26, 34 b. — Sat. Men. p. 175, 154; p. 193, 360; p. 211, 551; p. 187, 296 (sin autem); p. 191, 334 (?), 336 (?), 339 (?).

3) Advers. crit. vol. II, p. 168 sq.

4) Topogr. Rom. I, p. 234.

illud, ubi 'etenim' consistit, cum ad confirmanda et explicanda quae praecedunt verba 'nemoribus Naeviis' pertineat, 'sic' particulam ut in initio positam habeat, ratio verborum structurae postulat. Haec enim est lex, ut quodcunque enuntiati alicuius vocabulum omnium est summo accentu efferendum, insigni prae ceteris in loco ponas; quem hoc quidem loco facillime invenies. Etenim sicut nos diceremus, non: 'denn die Orte . . sind so benannt', sed: 'so nämlich sind die Orte, wo die porta liegt, benannt': sic item Latine dici oportet. Quare sequitur primum, ut 'etenim' particula non recte se habere dicenda sit; tum ut voculam 'sic' aut ipsam falsam esse aut aliter ac putavimus referendam esse credamus. Ac primum quidem nobis constat 'etenim' mutandum esse in 'ita enim', 'sic' vero particulam si quis dixerit ita referendam esse, ut verbis quae sunt 'etenim loca ubi ea' in parenthesi positis, ceterorum haec fiat structura: 'Sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naeviis (ita enim loca, ubi ea), sic dicta', vereor ne iniuria in huius sententiae brevitate parenthesin posuerit atque membra eius nimium distraxerit. Tum vero quaestione de particularum 'sic' et 'ita' usu instituta inveni, usum earum certis quibusdam finibus determinatum, perpauca autem esse exempla ubi significatione inter se non differant.[1] Itaque cum verbis quae sunt 'dico' 'appello' et similibus saepe coniunctam videmus particulam 'ita',[2] hoc uno loco de l. l. V, § 103, p. 105[3] particulam 'sic'.

1) De his particulis quaestionem infra accuratius instituam.

2) cfr. V, § 68, p. 73; § 96, p. 98; § 105, p. 108; § 117, p. 122; § 122, p. 127; § 175, p. 175. VII, § 20, p. 307; § 35, p. 322; § 39, p. 325; IX, § 61, p. 500 etc. cf. de vita p. r. p. 28, 44.

3) 'Sic enim antiqui Graeci (sc. dicebant) quam nunc Raphanum.'

Quae cum ita sint, haud scio an praeferre oporteat structuram verborum hanc: 'Sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naeviis; ita enim loca, ubi ea, sunt dicta,' vel quae non minus leni efficitur medicina 'ita enim loca, ubi ea est, dicta'.

Tres igitur protuli sanandi illius loci rationes, e quibus quacunque hic tibi sanatus esse videtur, certe loco particulae 'etenim' scribendum esse 'ita enim' mihi assensurum te esse spero.

VII, § 1 p. 281 quod traditum est 'etenim' iam Victorius recte mutavit in 'ut enim'.[1]

VII, § 11 p. 294 pro eo quod in codice est 'Enim loca quae sint designat cum dicit: . .' Spengelius legi iubet: 'Etenim'. Nos cum C. O. Muellero, cui adstipulatur Grothius,[2] scribimus 'Ea enim'.

VIII, § 7 p. 396 quod servi nonnunquam falsa dictione utuntur Varro excusat his verbis:

'Qui si nonnunquam offendunt, non est mirum: etenim illi,[3] qui primi nomina imposuerunt rebus, fortasse an in quibusdam sint lapsi'.

Scribendum esse, ut vera sit excusatio, pro 'etenim' 'et enim' primus vidit Christius.[4])

Relinquitur unus in his de l. l. libris locus X, § 68 p. 582 sine ulla scripturae diversitate et in codicibus et in editionibus scriptus sic: 'Tertium genus est illud duplex — in quo et res et voces similiter proportione dicuntur — de quorum analogia et Aristophanes et alii scripserunt. Etenim haec denique perfecta, ut in orati-

1) De hoc loco infra accuratius disseram.

2) p. 36 n. 203.

3) 'illa' codd.; 'illi' quod habent et veteres multae editiones et C. O. Muellerus, etiam Spengelius probat (De emend. rat. p. 13) et nuper Grothius l. c. p. 8.

4) cfr. Philol. vol. XVI. p. 454.

one illae duae simplices inchoatae analogiae . . .' Particula 'etenim' num recte se habeat unus dubitat Ferdinandus Handius. Is enim 'Varronis', inquit, 'de l. l. unus est locus, in quo 'etenim' usurpat, sed valde ambiguus, nisi copulae tribuas maiorem vim'.[1])

Copiosa igitur nostra de usu huius particulae quaestione idem assecuti sumus, quod vir egregius paucis verbis commemorat. Nos vero longius progressi h. l. non 'valde ambiguam', sed certo corruptam esse particulam credimus; nam quod Handius de copulae maiore vi addit, id de Plauto nec non Terentio dicere licet, de nostro nequaquam licere nobis persuasimus.[2]) Itaque cum remedio opus esse videatur, si quae praecedunt verba contemplamur, non illa, quae proxime adstant 'de quorum analogia — scripserunt' sed haec, quae paulo ante 'Tertium genus est illud duplex — in quo et res et voces similiter pro portione dicuntur', nobis pro 'etenim' legi placet 'itaque'; quae particula et facile cum illa mutari potuit et bene se habet in conexu verborum.

Iam quae libri de r. r. ostendunt exempla ut percenseam, e primo libro habeo haec: 4, 3;[3]) 4, 4.[4]) 59, 2 'in quo (= oporotheca) etiam quidam triclinium sternere solent cenandi causa. Etenim in[5]) quibus luxuria concesserit ut in pinacothece faciant —, cur non quod na-

1) Turs. vol. II. p. 543.

2) Apud Plautum particulam 'enim' omnino semper, apud Terentium maximam partem esse affirmativam, Petrus Langenius ostendit in libro, cui inscripsit 'Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus' (a. 1880) p. 262 sqq. Apud nostrum semper explicando inservit ac vi sua propria in composito 'etenim' privari non potest.

3) cfr. Hand. l. c, II. p. 541.

4) cfr. Hand. l. c. II. p. 542.

5) Pro 'in' veteres quaedam editiones legunt 'si ii', eaedem 'ut' particulam mutant in 'id'. Mihi placet 'si' praesertim propter id quod sequitur pronomen 'quibus'.

tura datum utantur in venustate . . pomorum?' — In libro II. nusquam particula admissa est, contra in libro tertio his locis: 1, 2; 16, 13; 17, 8; 8, 3 ('Ad saginandum appositissimum tempus circiter messem. Etenim matres eorum tunc optimae sunt, cum pulli plurimi gignuntur, qui ad farturam meliores'. De 'etenim' in optimis libris constare videtur, diviserunt particulam in 'et enim' plurimae veteres editiones. Ego quid sibi hic velit, non video; de expediendo loco incertus haesito.[1])

Quare particula Varroni in libris de r. r. multo minus placuit quam in illis quos de l. l. memoriae tradidit. Nam in his circiter LXXV loci eam prae se ferunt, in illis si editiones sequimur, XIV. Sane mirum, quoniam vulgarem esse (atque ab optimo quoque poeta vitatam) hanc Mauricius Hauptius in Observationibus criticis[2]) demonstravit. Itaque in his de r. r. libris, quos plane vulgari i. e. familiari dictione composuit, Varro a quotidiano sermone non recessisse mihi videtur; ego quidem hanc ob causam minus illam adhibitam esse existimo, quod mere logica est ac magis disputationi quam sermoni accommodata. Nec vero casu factum esse, ut rarius in his libris legatur, immo paulatim ac de industria nostrum ab hac particula deficere, inde videas, quod in primo de r. r. libro VII, in secundo V, in tertio II exempla obviam fiunt.[3])

---

1) In fragmentis occurrit particula his: Sat. Men. p. 163, 22; p. 212, 564. Logistor. (ap. Ries.) p. 251, 33. Antiq. rer. div. l. c. p. 166.

2 p. 12 sq. = Opusc. I. p. 84 sq.

3) Forsitan dixerit aliquis, 'quare' in libris de l. l. saepius ideo in usu versari, quod hi libri refertissimi sunt locis aliunde petitis, quibus inducendis particula illa inserviat, in libris de r. r. loci ex aliis scriptoribus sumti omnino non laudentur. At nusquam talem particulae usum observavi; quem usum particula potius quae

Atque hoc ostendisse satis habemus, nam in usu eam libri de r. r. plane eodem habent atque libri de l. l. Id unum commemoramus, hanc particulam causalem in libris de l. l. rectae orationi assignatam esse exceptis duobus his locis VI, § 89 p. 266; IX, § 11 p. 463 extr. Et illo quidem loco obliquae orationi inserta est sic: 'Quare hic accenso, illic praeconi dicit haec, est causa'.[1]) Altero autem loco IX, § 11 p. 463 extr. particula in interrogatione posita est: 'Cum vituperandus non sit medicus—, quare reprehendendus sit qui . .?' In libris de r. r. semper rectae orationi tributa est.

Ad illos autem libros de l. l. ut redeamus, C. O. Muellerus X, § 29 p. 560 pro 'quare' particulam 'quippe' e conjectura in contextu posuit: quae conjectura vel ideo repudianda est, quod 'quippe' apud Varronem omnino non legitur. Sensum vero si spectamus, 'quare' huic loco perbene convenit: interpungendum autem non cum Spengelio, sed cum Muellero.

V, § 108 p. 111 in codicibus legitur sic:

'Ab olla Olera dicta quorum a genere cruda olera' quem locum Muellerus sic scribit:

'Ab olla Olera dicta, quare degenera cruda olera'.

Dubitanter verbum 'degenera' se coniecisse Muellerus ipse fatetur: quod ego nollem vir eruditus unquam suspicatus esset. Utique enim ad absurdum atque ineptum venire necesse est. Itaque a contextu Muelleri temere interpolato recedamus traditamque lectionem e nostra opinione enodemus! Sic enim scribendum esse

---

est 'itaque' sibi vindicat. Quo autem loco Muellerus particulae 'quare' hoc tribuit, (VII, § 14 p. 300), de eo mihi quidem dubitatio relinquitur.

1) Indicativus, in quo iure offendendum est, ab omnibus adhuc editoribus servatus est. Omisit hunc locum C. F. W. Muellerus de inaequalitate modorum disserens l. c. p. 870 sq.

censeo: 'Ab olla Olera dicta, quoniam genere cruda olera'. Et sensum quidem me rectum invenisse credo; exponit enim Varro, cum verbi originem indicasset, re quoque et usu hoc veriloquium comprobari: id quod saepissime in originibus explicandis facit. Sed ne verbum quidem quod ego conieci, 'quoniam', offensioni esse debet, siquidem Varro etiam V, § 19 p. 28[1]) hanc particulam eadem ratione admisit.

Alio est loco, si recte coniecit Muellerus, 'quare' reponendum, IV, § 66 p. 73; qui locus in codicibus legitur sic:

—'coniunctus terrae, ubi omnia oriuntur, vi aboriuntur quorum quod finis ortum ortus dictus'

e quibus Muellerus effecit haec:

—'ubi omnia ut oriuntur, ita aboriuntur: quare, quod finis ortus, Orcus[2]) dictus'.

Atque formulam quae est 'ut — ita' in Varronianum dicendi morem peccare infra ostendam; 'quare' vero a Muellero recte coniectum esse mihi persuasi.

Madvicus[3]) autem medicinam adhiberi vult hanc: 'ubi omnia oriuntur, ubi[4]) aboriuntur, quorum quod finis ortuum, orcus dictus', qua in lectione primum reprehendo inusitatam Varroni collocationem verborum 'quorum — ortuum'; deinde hoc verbum ipsum propter numerum pluralem offensioni est; tum anaphora quae est 'ubi — ubi' a Varroniana dictione prorsus abhorret; denique enuntiatum quod est 'quorum quod finis ortuum' cum praecedenti nimis dure vel potius horride conexum est.

---

1) 'puto a chao choum et hinc caelum, quoniam, ut dixi 'Hoc circum . . . . .' cavum, caelum'.

2) 'Orcus' Turnebi est coniectura.

3) Adv. crit. p. 167.

4) 'ubi' coniecit Aldus.

Ego vero et Muellerum secutus et Turnebum et codicem Havniensem pro 'oriuntur' exhibentem 'aboruntur' locum castigari velim sic:

> ubi omnia aboriuntur, quae oriuntur: quare' quod finis ortûs, Orcus dictus'.[1])

'Quare quod' Muellerum e more Varronis bene restituisse supra dixi; libentissime enim noster hanc particulam relativam cum aliis et coniunctionibus (ut sunt 'quod', 'quoniam', 'cur', 'cum') et pronominibus et adverbiis relativis componit.[2])

De **Ut** particula annotabo, Varronem in libris de l. l. nullum ex iis verbis, quae 'Ut' particula sequi solet, ita construxisse ut illa omissa verbum in coniunctivo modo collocaret; contra in libris de r. r. (id quod perbene ad familiarem huius scriptionis sermonem convenit) hanc legem saepissime neglexisse. Ac primum quidem verba faciam de iis quae sunt 'oportet, necesse est, licet'. Itaque

Oportet in libris de r. r. cum conjunctivo positum est I, 2, 2; II, 3, 1; 4, 13. III, 9, 4; 9, 11; 9, 2.

In libris de l. l. hujus constructionis exemplum non extat; quamquam ut restituamus eam vehementer admonet locus qui est X, § 7, p. 547, quem locum in codicibus scriptum habemus sic: 'Itaque quod diligenter videndum est in verbis, quas partis et quot modis

---

1) Spengelius inducendum putat 'oriuntur' aut scribendum: 'ubi omnia quae oriuntur, vi aboriuntur . . . .'

2) 'Quare quod' legitur V, § 13 p. 23; § 64 p. 69; § 93 p. 95; VIII, § 43 p. 423; § 50 p. 428; IX, § 36 p. 482; § 84 p. 518. Cetera huiusmodi exempla omitto. — Fragmenta hanc particulam praebent de serm. lat. p. 202, 74 (Wilm.). — Logistor. ap. Ries. l. c. p. 251, 31. — Sat. Men. p. 168, 81; p. 170, 107; 177, 175; 189, 309; 195, 381; 211, 555.

oporteat similis habere[1]) dicuntur ut infra apparebit: is locus maxime lubricus est.'

Spengelius vulgatam amplexus lectionem in hunc modum commutat: — 'quas partes et quod modis oporteat ut similes dicantur, ut infra apparebit;' Muellerus abiecto verbo 'dicantur' sic scribit: '— quas partes et quot modis oporteat similis habere, ut infra apparebit:' — Ego de hoc loco sic iudico: Sensus ut bene se habeat, nihil aliud requiritur quam ut pro modo indicativo ponas coniunctivum 'dicantur'[2]); sin vero Varronis in his libris genus loquendi spectamus, ille modus offensioni esse debet quam maximae. Itaque certam de hoc loco sententiam non profero; tamen proponere liceat lectionem hanc: 'Itaque quod diligenter videndum est in verbis, quas partes et quot modis oporteat similis habere, ut dicantur ita[3]) (ut infra apparebit)[4]): is locus maxime lubricus est.'

Alius est locus in libris de l. l. ita traditus, ut hoc de quo agimus verbum coniunctivus sequatur, IX § 6 p. 460. 'Quare ad quamcumque summam in dicendo referam, si animadvertes intelleges utrum dicatur analogia esse an uti oporteret redigeretur, dici id in populum aliter, ac inde omnibus dici in eum qui sit in populo.'

Sic Spengelius secundum codices; in quo et 'opor-

---

1) cod. F. 'habere. dicuntur' Groth. p. 63.

2) Confer. quod in praecedenti paragrapho dictum est 'illud est potius advertendum, cum simile quid esse dicitur, cui parti simile dicatur esse': quod idem sic dici licet 'quas partes similes habere dicantur'.

3) 'ita' i. e. 'similia' ('ut dicantur verba similia').

4) Quae in parenthesi posui, ea ad totam quae praecedit sententiam pertinet: infra enim apparet, diligenter videndum esse in verbis, quas partes . . .

setet' et 'redigeretur' falsum esse apparet; praesens enim, non imperfectum tempus postulatur. Et praesto est lenissima medicina, quam neminem invenisse miror; sic enim illa difficultas tollenda est — 'utrum dicatur analogia esse an uti oportere et redigere.'

Et quod mutando effeci 'oportere et' quid sibi velit, ex § 4. elucet, ubi Varro 'Aliud' inquit 'est dicere verborum analogias, aliud dicere uti oportere analogiis.'[1]) Alterum autem quod mutavi 'redigere', cum de usu dicatur, sic intelligendum est ut, quodcunque in usu verbum contra analogiam peccet, ad eam id redigendum esse significet. Itaque cum verbum 'redigere' vehementer desideret ea quae sunt 'ad eam' (i. e. analogiam)[2]), et ipsam vocem 'verba', ut dicatur 'redigere ad eam verba', perbene accidit ut infra sequantur 'inde omnibus dici', quae verba unus Muellerus quomodo hoc loco stare possint se non intelligere ingenue confitetur et audacius e continuatione verborum expellit. In quo iusto longius vir doctus progressus esse mihi videtur; suo autem loco haec verba stare non posse rectissime animadvertit. Nam et conexum verborum plane evertunt et hoc falsum habent, quod dativus 'omnibus' pro 'ab' cum ablativo casu positus est. Ego vero solum 'dici' vocabulum ut male repetitum delendum, cetera autem emendanda et transponenda esse censeo sic: — 'intelleges utrum dicatur analogia esse an uti oportere et redigere[3]) ad eam verba'.[4]) — Atque ut cetera ex mea opinione scribenda

---

1) cfr. Christ. Philol. XVI. p. 458.

2) Haec adcogitando suppleri posse nego.

3) Redigendi verbum eadem ratione adhibitum est § 9. extr. ('redigere ad rationem').

4) Sic ego pro tradita lectione 'inde omnibus.' Et verba quae sunt 'ad eam' lenissima correctione effeci; tertium vero vocabulum illud 'verba', quod in codice scriptum fuisse videtur 'ûba' (cfr.

proponam, in verbo tradito 'redigeretur' delitescere puto particulam 'tum', cui ego hunc locum assigno: 'tum dici id in populum aliter ac in eum qui sit in populo'.

'Tum' vero particula h. l. rectissime posita est. Nam hac tota sententia, id quod particula 'qua-e' significatur, Varro quam in § 4. fecerat dispositionem, aliis verbis repetit ita ut verba 'utrum dicatur analogia esse an uti oportere' idem significent quod supra verbis 'de copulis naturae et usus' expressum est; verba autem 'tum dici id in populum aliter' et quae sequuntur respiciant ad superiora illa quae erant 'de copulis personarum'. 'Tum' igitur vocem, ut qua altera dispositionis pars introducatur, h. l. aptissimam esse quis neget?[1])

Necesse est cum coniunctivo positum est De r. r. II, 1, 24 (Qui parat pecus, necesse est constituat numerum), in libris de l. l. numquam.[2])

Spengel. Emend. Varr. p. 10.) non minus facili modo reposui. — An praestare tibi videtur lectio 'ad eam omnia'?

1) De 'tum' particula cfr. VI, § 12 p. 194. V, § 131 p. 134 An quis putet, servandam esse traditam vocem 'dici' (quam supra ut male repetitam deleri volui) ac mutandam in 'dein,' ut dicatur 'dein tum?' Qua locutione Varro usus est VI, § 42 p. 221; VIII, § 25 p. 410 (ubi de 'post deinde' Muellerus laudat Schraderum ad Iustin. Institut. I, 1, 2. p. 17) sat Men. p. 197, 402 'porro inde.' cfr. Schoell. 'Legis XII tab. reliq.' p. 107.

2) Accusativus cum inf. sequitur: De r. r. I, 35, 1; II, 1, 3 (bis); 1, 15. De l. l. IX, § 30 p. 476. — Infinitivus legitur De l. l. X, § 16 p. 553; § 30 p. 562. VI, § 30 p. 210; VIII, § 32 p. 416; § 8 p. 397. cfr. IX, § 18 p. 468. — VIII, § 28 p. 412, qui locus traditus est sic: 'Accedit, quod quaecumque usus causa ad vitam sint assumpta, in his non utilitatem quaerere non similitudinem' Spengelius hoc annotat. 'alii n̄, alii n̄o exhibent,in quo latet verbum sive 'necesse' sive 'volumus' vel 'volt.' quo usus commento Muellerus in contextu posuit haec: 'Accedit, quod, quaecumque usus causa ad vitam sint assumpta, in his necesse utititatem quaerere, non similitudinem'. Bene quidem; sed non minus bene coniciat aliquis '— in

Licet in libris de l. l. non legitur nisi cum infinitivo coniunctum; e libris de r. r. exempla huius particulae cum coniunctivo coniunctae habeo haec: I, 2, 16 (licet adicias); III, 5, 8 (des licebit); 6, 1 (licet dicas);[1]) cum infinitivo multa.

Atque haec quidem hactenus; nunc alia verba in eandem hanc quaestionem vocemus! Itaque legimus de r. r. I, 2, 2: 'vultis . . usurpemus?'; 13, 7: 'habeant dant operam'. III, 2, 1 'vis . . utamur'?; 2, 7 'velim me doceas'; 7, 11 'emas censeo'; 9, 2 'quae velis incubet', alia, quae non enumero.

In libris de l. l. quae sunt huiusmodi pauca exempla, ea ad unum omnia non recte se habere manifestum est, veluti id quod primum affero IX, § 43 p. 487. Codices enim sic: '— lucerna in tenebris allata non facit[2]) quae ibi sunt posita similia sint, sed ut videantur quae sunt quoius dissint'.

Et pro verbis 'quoius dissint' scribendum esse 'quoiusmodi sint' perspexit C. O. Muellerus,[3]) quem et Spen-

his nobis utilitatem quaerendum, non similitudinem.' Probabile enim est sicut infinitis locis in libris de r. r. (cfr. Scalig. ad Varr. de r. r I, 40, 4; Keil l. l. p. 41 sq.) sic in his quoque de l. l. librarium in gerundio cum accusativo casu coniuncto offendisse. Et de r. r. libros nunc omitto, de quibus Keilius l. c. copiose curioseque egit; libri autem de l. l. (quos a librario alioquin satis diligenti scriptos esse vel hinc licet videre) incorrupta huius loquendi generis exempla omnia praebent haec: IX, § 48 p. 490 ('cum . . utilitatis causa introducta sit oratio, sequendum non quae habebit similitudinem, sed quae utilitatem'); cfr. IX, § 111 p. 539; X, § 19 p. 555.

1) Quae attuli coniunctivi exempla, ea significatione a ceteris paulo differunt, siquidem vim habent vel optandi vel admonendi vel cohortandi. cfr. Sat. Men. p. 211, 555 (1 adsumas); de vita pop. rom. p. 38, 11 (differant licebit).

2) Sic cod. F., non 'faciat'; cfr. Groth. p. 56. n. 346.

3) Emend. Varron. mantisa in Festi edit. p. XLIV.

gelius[1]) secutus est et Grothius;[2]) post 'facit' autem inserendum esse 'ut' recte coniecit Spengelius[3]) Grothioque probavit. — De loco qui est VI, § 69 p. 246 extr. 'sponsor quidem faciat obligatur' supra diximus; id unum satis habemus hic repetivisse, particulam 'ut' a Spengelio bene coniectam esse.

VI, § 81 p. 258 in. nulla lectionis varietate legitur hoc: 'facito videant te esse heredem', quae mihi formula e lege quadam de hereditatibus sumta esse videtur.

Formula quae est **'Utne'**, in libris de r. r. comprobatur exemplis his: II, 4, 20 (ideo — utne); 9, 13 (in praecepto); cfr. III, 16, 27.[4])

'ita, ut ne' legitur II, 10, 3; III, 16, 16; 16, 34.

In libris de l. l. si codices sequimur, haec formula non extat; Muellerus autem quod duobus locis eam in contextu posuit, non recte fecisse mihi videtur. Alter enim locus qui est VII, § 105 p. 383 in codice F. sic legitur: 'Hoc C. popillio uocare sillo dictatore sublatum ne fieret et omnis qui bonam copiam iurarunt ne essent nexi dissoluti'.

Quo loco in primum offendendum est in ea lectione quae est 'uocare'; pro qua Spengelius 'rogatore', Muellerus e Turnebi coniectura 'auctore' legendum esse arbitratur. Id vero nomen quod in codice scribitur 'popillio',[5]) item illud quod est 'sillo', iam veteres editores interpretesque alii aliter mutandum esse censuerunt; quas coniecturas enumerare longum est, cognoscere licet in Spengelii et Muelleri editionibus. Ego quam coniecturam amplectar,

---

1) De emend. rat. p. 14.

2) l. c. p. 56 n. 347.

3) Et in edit. et l. c.

4) Hoc loco 'ita' additum ab editt.; cfr. Zahlfeldt. l. c. p. 20.

5) De hac nominis forma cfr. Ritschel Op. III, p. 249. Catonis frg. (ed. Jordan.) p. 70, 64.

dubito. — Sed haec omitto; illud potius animadvertendum ceterisne in verbis editores illi iure offendant.

Spengelius enim in contextu habet haec: Hoc C. Popilio rogatore, Sylla dictatore, sublatum ne fieret, et omnes qui bonam copiam iurarunt, ne essent nexi [sed][1] dissoluti.

Muellerus autem decurrere iubet orationem sic: 'Hoc C. Poplilio auctore, Visolo dictatore, sublatum ne fieret, ut omnis qui bonam copiam iurarunt, ne essent nexi, sed soluti'.

Ego editoris utriusque lectionem inutili genuinae lectionis mutatione factam reicio, ac Muelleri quidem vel eam ob causam quod particulae 'ut ne' inter se iunctae in his de l. l. libris omnino non inveniunter. Itaque ut meam vel potius Brunsii[2] de hoc loco opinionem proferam *πλεοναστικῶς* (si licet dicere) dictum puto et illud 'sublatum ne fieret' et quod sequitur 'omnes (ne essent nexi) dissoluti'. Sic igitur scribi velim: 'Hoc . . sublatum ne fieret, et omnes qui bonam copiam iurarunt, ne essent nexi, dissoluti (sc. sunt)'.

Alter est locus, ubi Muellerus hanc formulam restituit VIII, § 10 p. 400. Tradita autem est particula 'ne', locus lacunosus, verborum continuatio magnopere turbata. Itaque quod Muellerus pro 'ne' reposuit 'ut ne', et verba interpolavit a quibus hanc formulam dependentem faceret 'institutum est', quis verum illum vidisse credat?[3])

Neve particula in libris de l. l. a Varrone omnino non ponitur, in illis de r. r. scriptis exempla inveni haec: I, 9, 7 (si sit terra alba . . naturâque non sit cineritia neve

---

1) Sic cod. B. liber admodum interpolatus et correctus.

2) cfr. Fontes iur. Rom. ed. IV. p. 308.

3) De Ciceroniano huius formulae usu vide Madvig. ad Cic. de fin. II. cap. 20 § 64.

vehementer densa); 12, 3 (vitandum ne in eam partem spectet villa . . ; neve in convalli cava). cfr. III, 11, 3. III, 16, 16 (ut ne agitentur neve inter se contingant). 10, 4 (ne habeant . . . et ut habeant . . . neve qua eo accedere possint mustelae); 7, 3 (Utrinque ut locus omnis sit illustris neve quae serpens . . introire queat).

Saepe, non addito verbo, **Ne** in praeceptis a Varrone adhibetur in libris de r. r., non adhibetur in libris de l. l.[1]) Illi autem loci sunt hi: I, 17, 3 'Cato scribit: Operarios parandos esse ne minores annorum XXII'; cfr. II, 2, 7; 4, 21; 5, 7. Idem hoc 'ne' librorum fide restituendum II, 9, 4 'solo ne ut corneo, ne nimium duro'; 'nam quod nunc legitur 'nec-nec', locum non habet in verbis idem potius significantibus quam inter se oppositis.'[2])

Eo autem loco qui est II, 7, 5, expellendum esse hoc 'ne' Keilius docet l. l. p. 27.

Quando particulae in libris de l. l. nullum inveni exemplum[3]); contra in libris de r. r. scriptis si coniecturas omitto, loci exstant quinque. Qui omnes hanc vocem loco adverbii positam habent ita, ut ter (I, 41, 5; III, 16, 7; 16, 37) post 'si' particulam, bis in sententia interrogativa obtineat (I, 68, 1; II, 1, 16).[4]) —

Duos in editionibus animadverti locos, ubi particula sententiis inter se conectendis inservit; quae mihi significatio, ut hic statim meam sententiam proferam, ab editoribus non recto iudicio particulae imposita esse videtur. Alter enim locus, III, 9, 14, quem scribunt: 'Quando de clunibus coeperint habere pinnas, e capite

1) cfr. Henr. Keil l. c. p. 32.

2) Verba sunt Keilii (l. c. p. 32).

3) Qui locus est IX, § 114 p. 541, cum corruptum esse inter omnes constat.

4) De hoc loco vide Keilium l. c. p. 37.

et e collo eorum crebro eligendi pedes' in Politiani excerptis pro 'quando' habet particulam 'qua', quam ego potius cum Ursino mutari velim in 'Quom'.[1]) — Altero autem loco II, 1, 21 in vetusta lectione haec verba obtinent: 'Quarta pars est de sanitate: res multiplex ac necessaria, quod morbosum pecus et vitiosum et quoniam non valet, saepe magna afficiuntur calamitate'.

Gesnerus itemque Schneiderus pro 'quoniam' scripserunt 'quando' hac mente, ut huic particulae sensus inesset temporalis. Nos iudicium de hoc loco sequimur Scaligeri, qui recte scriptum esse 'quoniam' in veteri membrana ostendit. 'Pecus' inquit 'quia imbecillum nimis est et morbis obnoxium, propterea accidit ut diversas offensiones incurrat. Non enim valet, quod valetudinis incertae est: cum levi momento huc et illuc impelli possit'.[2])

Donec particulae Varro in libris de l. l. bis locum dedit, in libris de r. r. numquam. Exempla illa sunt: V, § 23 p. 33 ('Donec in purgando humo est opertum[3]) (sc. os), familia funesta manet'); V, § 69 p. 75 ('Iuno Lucina juvat, donec mensibus actis produxit in lucem').

Haec eadem particula apud Ciceronem rarissime occurrit; etenim si artium scriptoribus ut sunt Draegerus[4]) et Kuehnerus,[5]) fidem habebimus, quater apud eum legitur et cum eadem significatione quam apud Varronem

1) Haec particula velut 'si' saepissime apud nostrum cum altero futuro coniunctum legitur; exempla conferas haec: I, 20, 2; II, 1, 16: 1, 22: 4, 15; 7, 8; 7, 13: 7, 14; 8, 4 (Pol.); III, 7, 7; 16, 32; 16, 32 (Scal.).

2) In fragmentis legitur 'si quando' sat. Men. p. 171, 115; 'ecquando' ibid. p 187, 294. Particula est temporalis ibid. p. 163, 25; p. 182, 231: causalis in Antiq. rer. div. l. c. p. 206, 6.

3) Sic cod. F.; cfr. Groth. l. c. p. 19.

4) Syntax. hist. II² (a. 1881) § 509 p. 612.

5) Gr. Lat. II, 2 p. 915 n.

ei inesse vidimus. Iidem illi grammatici apud Caesarem et Sallustium eam omnino numquam reperiri docent, contra apud scriptores qui inde ab Augusti temporibus florebant, non raro in usu versari; quapropter concludendum est, non sine consilio et Ciceronem et eos qui eadem fere aetate vivebant, hac particula abstinuisse.[1]

Particula **Simulac** in libris de l. l. nusquam occurrit; in libris de r. r. eam locis investigavimus his: I, 8, 6 (cum perf. ind.). cfr. III, 7, 9. — I, 31, 6 (cum fut. II.); cfr. III, 2, 18; 2, 18 (s. primum).[2]

Atque ut de simplici particula statim adiungamus, ea in utrisque libris a Varrone nunquam ita posita est, ut coniunctionis quam nos vocamus partes in se suscipiat. Nam qui unus in libris de r. r. locus eiusmodi esse videtur II, 2, 7 ('Simul aspicit me „Certe“ inquit „L. Martius, praefectus fabrum tuus — dicebat“'), ibi particula nihil aliud exprimit nisi actionem utramque et aspiciendi et dicendi eodem tempore fieri et tamquam unam efficere, ut si dicas 'aspiciens inquit'.[3]

Quoad in libris de l. l. rarissime invenitur, in libris de r. r. admodum saepe in usu versatur. In iisdem his

---

1) E fragmentis collecta habeo exempla haec: Sat. Men. p. 170, 109 (cum perf. ind.) Ibidem e Buecheleri coni. 'donique' p. 190, 325. — Antiq. rer. div. p. 113, 2 (cum imperf. coni. in orat. obl.).

2) 'Simulac' in fragmentis invenies Sat. Men. p. 173, 139 (cum perf.); p. 212, 558 (cum praes.). Epistul. Varr. (ap. Ries.) p. 259, 3 (cum perf.); 'Simul atque' sat. Men. p. 171, 117 (cum perf.); Antiq. rer. div. p, 186 (cum perf.).

3) Cum hoc loco conferas II, 10, 8 (de quo vide Keilium p. 52). — Tamquam in transcursu commemorabo, adverbium in libris de l. l obviam fieri V, § 68, p, 74; VIII, § 3, p. 393; § 58, p. 434; X, § 37, p. 566: in libris de r, r. semper cum 'et' vocabulo coniunctum legi: I, 2, 2 (et simul): cfr. 27, 2; II, 10, 8. I, 29, 2 (simul et — et). — In fragmentis inveni adverbium sat. Men. p. 178, 190.

de r. r. libris fere ubique codicum auctoritate firmatam habemus formam quae est 'Quaad', quae in libris de l. l. uno tantum loco eoque e coniectura Lachmanni posita est. Sed iam singula perlustremus exempla! Itaque ut a libris de l. l. initium capiamus, V, § 15, 26 tradita sunt haec:

'Praeco dicitur locare quod usque id emit quoad in aliquo consistit pretium'

quem locum plurimi quidem et veteres et recentes horum librorum interpretes corruptum esse putaverunt; Goeschenius contra, quem sequitur Muellerus, codicum illam lectionem non recte defendit[1]. Nam 'Usque' particula a nostro nusquam ut praepositio adhibetur, siquidem in his de l. l. libris saepius cum praepositionibus 'ad'[2] 'in'[3] semel cum 'eo'[4] coniuncta legitur[5]. Itaque ut 'emendi' notionem non recte praeconi tributam esse omittamus ('vendendi' potius verbum adhiberi debuit)[6], vel ob mendum illud grammaticum lectionem traditam medicina egere censemus. Nec defuerunt qui idem arbitrarentur, velut Oxeius in commentatione quam 'de etymis quibusdam Varronianis' conscripsit[7]. Sed quod ipse Varronem

1) 'Praeco, cum opus aliquod locat, id a conductoribus emere dici potest, quod opus praestandum certa pecunia soluta reipublicae acquirit. In hoc emendi negotio eo usque procedit, dum pretium certo loco consistit' Muell.

2) Cfr. V, § 69, p. 75; VI, § 34, p. 214; IX, § 84, p. 518. VI, § 80 p. 256 (usque . . . ad); IX, § 81, p. 516 (usque ab . . . ad); § 82 p. 517 (usque a . . . ad).

3) VII, § 28, p. 315 (usque . . . in).

4) VII, § 31, p. 318 (u. eo evanuit).

5) In libris de r. r. legitur 'usque ad undecies (cfr. sat. Men. p. 213, 568; de vit. pop. Rom. p. 38, 12), 'usque eo' ter, 'usque adeo' bis, 'usque quaad' bis, 'usque dum' semel. — In sat. Men. p. 188, 306 'usque' idem valet quod 'semper'.

6) Cfr. Mommsen, iur. Rom. vol. II² p. 432.

7) Kreuznach 1859 (4°).

scripsisse censet 'Ab eo pretium dicitur locari, quod usque idem it[1]) quoad in aliquo consistit; pretium inde locarium . .' aut (si locandi verbum de praecone dictum voluerit noster a loco declinari) 'ab eo praeco dicitur locare, quod is, quoad emtum vocat, in alto loco consistit. Pretium inde locarium . . .' alterum illud non intelligo, cum praesertim dictionem 'pretium locare' certam e lege formulam esse non constet; alterum silentio praetermittendum videtur.

Aliam medendi viam multoque faciliorem iniit Madvicus[2]); scripsisse enim coniecit Varronem sic:

'quod usque demit, quoad . .'[3])

Quam ego lectionem reiciendam esse puto primum quod demendi verbum sic, ut positum est, illud quod vult Madvicus valere non potest. Deinde magnopere de eo dubito, quod quoniam de legis formula quadam hic agitur, demendi verbum in hoc usu versari non videtur: neque enim apud Brunsium[4]) neque apud Mommsenium (l. c.), cum de locationibus agunt, hoc verbum invenitur.

Denique Nipperdeius[5]) hunc hocum sic emendandum esse censet:

> 'Ubi quidque constitit, locus: ab eo praeco dicitur locare, quod usque demittit quoad in aliquo consistit pretium'.

'Codicum enim lectionem quod Muellerus Goeschenii suasu ita explicat, ut praeconem emere dici putet quia is opus certa pecunia praestandum a conductoribns rei-

---

1) e Scaligeri coniectura.

2) Adv. crit. II, p. 167.

3) 'Praeco enim in locando a maiore pretio descendit, donec ad id perventum est, quo quis conducere velit'.

4) Font. iur. Rom. p. 210 (ed. IV).

5) Opusc. p. 63.

publicae acquirat, non emit ille quoad pretium consistit, sed cum constitit. Demittit vero pretium post maiora pretia minora pronuntians, donec ad minimum pervenit.' Ego in demittendi verbum idem profero quod supra in verbum demendi dixi; quare, quod in hunc locum quadrat vendendi verbum, traditae lectioni aliquantum mutatae sic inseri velim: 'quod usque uendit quoad in aliquo consistit pretium'. –

VII § 8 p. 290 haec particula non est Varronis, sed legis cuiusdam quam ille exempli causa attulit. Verba autem sunt haec: 'Tesca . . me ita sunto, quoad ego caste lingua nuncupavero.' Quae cum de loco augurii aut auspicii causa definiendo dicantur, 'quoad' vocabulum hic non coniunctionis quae vocatur, sed potius adverbii partes agere apparet; sensu enim eodem est quo 'quatenus'.

IX § 1 p. 457 extr. Varronis quae extant in codice F. verba, cum Spengelio[1]) sic restituo:

Aristarchus de aequabilitate quom[1]) scribit[2]) verborum similitudinem[3]) quodammodo[4]) in declinatione[5]) sequi[6]) iubet, quoad patiatur consuetudo.

Et de modo coniunctivo id velim animadvertas, eum propter orationem obliquam — Aristarchi enim sunt verba — admissum esse. Particula autem ipsa id quod verbo sequendi indicatur, hoc quoque loco naturam

---

1) De emend. rat. p. 9.

1) 'Conscribit' cod. F. — 'quom scribit' Muellerus.

2) 'et verborum' F. — 'de' ante 'verborum' in cod. deletum est; cf. Groth. p. 53 n. 327.

3) Sic cod. F.; cfr. Groth l. c.

4) F. 'quarundam'. — Pro 'quodammodo' potiusne scribendum sit 'quandam' rogat Grothius l. c

5) 'inclinationes' F

6) Ante 'sequi' pronomen 'nos' intercidisse suspicatur C. F. W. Muell. l. c. p. 868.

ostendit adverbialem vel, si mavis, transitum facit ab hac ad coniunctionem. Neque enim vertendum est 'so lange bis', sed potius 'so weit als'; qua versione et propriam quae est localis et metaphoricam significationem expressam habes. Cum hoc loco conferas illum qui est in eodem hoc libro § 18 p. 468: 'Sic populus facere debet, etiam singuli, sine offensione quod fiat populi', ubi eandem significationem restrictivam particulae vel potius relativo pronomini 'quod'[1]) inesse apertum est.

,Quoad' particulam etiam hi, quos nunc commemorabo locos prae se ferunt, sed non sine aliquo hominum doctorum dissensu; velut in loco qui est V, § 23 p. 33 cum alii codices tum qui est optimus F. non ,quoad' sed ,quod' particulam exhibent. Verba enim, si hunc sequimur, sunt haec: 'Si os exceptum est mortui ad familiam purgandam, donec in purgando humo est opertum,[2]) (ut pontifices dicunt, quod inhumatus sit,)[3]) familia funesta manet'.

Editiones fere omnes 'quoad' loco particulae 'quod' collocant, quod qui nuper copiose de huius particulae origine et usu disseruit Henricus Jordanus[4]), rectissime factum esse censet: nam cum idem h. l. valeat quod 'donec', nullo modo 'quod' particulam locum habere posse. Quod idem legi vult Keilius.[5]) Hermannus vero Kettnerus[6]) 'quod' retinendum esse existimat, quod probavit Grothio.[7])

1) De huius pronominis vi ac natura vide Iordanum in Symbol crit. p. 340.

2) Sic F.; cfr. Groth. p. 19.

3) Cfr. de vit. pop. rom. p. 36, 18.

4) Symbol. crit. p. 347.

5) Obs. crit. p. 40 n.

6) 'Kritische Bemerkungen zu Varro und lat. Glossaren' Rossleben 1868.

7) l. c. p. 19 n. 34.

VIII, § 46 p. 425 in editionibus e vulgata lectione ferebantur verba haec: 'Haec singulatim triplicia esse debent, quoad sexum, multitudinem, casum'.

In veteribus libris omnibus pro 'quoad' est 'quod', quam lectionem primus non contemsit C. F. W. Muellerus, post eum Grothius in ipso verbum contextu restituendam esse arbitratur.[1]) Quare quod Haasius in Reisigii scholis[2]) ad usum particulae 'quoad' cum accusativo coniunctae demonstrandum praeter alterum quoddam exemplum e Varronis de r. r. libris (I, 9, 5) hoc quoque utitur, id nunc omni auctoritate caret. Alterum autem illud emendandum esse C. F. W. Muellero[2]) assentior. Nam quoniam dictiones quae sunt 'nihil ad me' 'quid ad me?' et similes tritissimae sint, cum praesertim dictione 'quod ad' sine adiecto 'attinet' verbo Varro in libris de l. l. V, § 57 p. 62[4]) usus sit, et hoc de quo agimus loco et altero, qui est de r. r. I, 9, 5[5]) pro 'quoad' scribendum esse 'quod ad'. — Sic Muellerus. Et hoc quidem loco, quem primus de r. r. liber praebet, recte mutavit; nec tamen formula intelligenda est quam deficiat verbum 'attinet' (id quod Muellero videtur), sed per se sola coniunctio 'quod' (quae causam indicet) collocari debet. Sic igitur legas: '— quod ad culturam pinguis fecundior ad multa, macra contra'. Haec enim structura et melius conexui verborum sensuique convenit et, quod non parvi aestimandum est, eius quae praecedit sententiae[6]) formationi plane respondet.

1) p. 50 n. 300.

2) § 267 p. 460.

2) l. c. p. 800.

4) 'Quod ad loca, — dixi'.

5) 'Magna tria discrimina terrae, quod refert, utrum sit macra an pinguis an mediocris. Quo ad culturam pinguis fecundior ad multa, macra contra'.

6) 'Discrimina omnium horum generum subtiliora alia, ut in

Sed de eo loco, unde profecti sumus de l. l. VIII, § 46, p. 425, quod suspicatus est Muellerus, rectius esse puto codicum scriptura 'quod'; certe apud nostrum huiusmodi dictionis exemplum inveni nullum.

Uno in libris de l. l. loco formam quae est 'quaad' Lachmannus egregia coniectura reposuit.[1] Nam VII, § 7, p. 288 cum in codicibus legantur verba 'qua attuimur', quae eadem in editionibus scribuntur, ut totum hunc locum e sententia illius viri describam, legendum proposuit: 'Quaqua[2] intuiti erant[3] oculi, a tuendo primo templum dictum; quocirca caelum[4] qua at[5] tuimur, dictum templum'. Tamen mirum sane quod hoc uno loco illam formam (quae saepissime in libris de r. r. occurrit) comprobatam habemus; itaque cautius Spengelius[6] legendum proponit: 'qua tuimur';[7] quamquam rursus Lachmanni coniectura ea re commendatur quod seusu aptiore esse videtur.

In libris de r. r. hanc particulae formam fere semper inveniri, postquam iam Victorius commento ad libr. I, 1, 2 facto id monuit, Keilii observatione de ea re curiose facta (l. c. p. 39 sq.) nunc inter omnes constat. Itaque si verbi temporalis modum respicimus,

I) cum praesenti indicativi particula coniungitur locis his:

---

sabulosa terra, quod ibi refert, sabulo albus sit an rubicundus: **quod** subalbus ad serendos surculos alienus, contra rubicundior appositus'.

1) Comment. Lucret p. 331.

2) Sic habet Augustinus in marg., ex coni. ut videtur. — qua quia' cod. F.

3) 'initium erat' cod. F.

4) 'caelum qua' cod. F. cfr. Groth. p. 36, n. 201.

5) 'quaad' probat Groth. l. c.

6) Philol. vol. XVII, p. 300.

7) Hoc idem coniecit Madvicus in advers. crit. II, p. 173.

I, 64, 2 'Decoquunt . . duas partes quaad regerunt'.

Quod verbum Scaligerus ita explicat, ut eadem ratione compositum id esse dicat qua verbum degendi, significationem autem inesse ei eximendi. Quod quamvis acute cogitatum sit, tamen ideo reprobandum quod rēgendi verbum in latinitate non extat, et huius quidem verbi perfectum a sensu huius loci alienum est. Sed ne regerendi quidem verbum mihi sufficit; ego potius loco nisus qui est De vita pop. rom. p. 26, 34 e:

> 'Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant; defrutum, si ex duabus partibus ad tertiam redegerant defervefaciendo'

scribendum puto: 'Decoquunt . . duas partes quaad redegerunt' (sc. ad minus).

II, 2, 11 e Keilii[1]) coni. legimus haec: 'Circiter meridianos aestus, dum defervescant sub umbriferas rupes et arbores patulas subiciunt, quaad refrigerantur aere vespertino; rursus pascunt[2]) ad solis occasum'. III, 7, 8 ('quaad possunt imitandum'.[3])

II) Perfectum tempus locis occurrit his: II, 2, 11; 2, 15; ubi item ut supra finis temporis hac particula describitur.[4])

III) Futurum legitur locis duobus, quorum unus est I, 2, 26 'Iubet ranam luridam conicere in aquam usque quaad tertiam partem decoxeris';[5]) alter II, 7, 12 'Dandum ordeum et furfures, usque quaad erunt lactentes'.

---

1) l. c. p. 39.

2) Sic codd.; 'pascunt' editiones.

3) cfr. Keil. p. 37 sq.

4) cfr. Logistor. frg. l. c. p. 248, 1 (quoad potui, adminiculavi).

5) Hoc loco origo particulae 'quaad' illustratur; cfr. Keil. p. 40.

Hi duo loci hoc habent commune quod sententiae forma est imperativa, propter quam futurum tempus admissum est.

Iam ad modum coniunctivum transeuntes exempla ponimus haec: II, 4, 21 'Triticum dari oportet, quaad fiant trimestres' I, 49, 1 'Herba . . quaad perarescat furcillis versari debet' ubi de modo si quaerimus coniunctivo, propterea locum habere videtur quod enuntiata illa ad praeceptum pertinent.[1]) —

I, 1, 2 verba leguntur haec:
'— experiar. Et non solum ut ipse quaad vivam, quid fieri oporteat, ut te moneam, sed etiam post mortem.' ubi quod est 'vivam' futurum indicativi iudicamus.

E Keilii[2]) coniectura haec particula obtinet I, 37, 1 'nova luna crescit ad plenam et inde rursus ad novam lunam decrescit quaad[3]) venit ad intermenstruum'. Dissentit a Keilio Lachmannus[4]) non 'quaad', sed 'quoad' exarandum proponens; quam emendationem nemini non venire in mentem oportere dicit C. F. W. Muellerus.[5]) Nos cum bis tantum vulgaris huius particulae forma pro certo constet et 'videndum sit annon hic quoque 'quaad' scribendum eaque forma sola vindicanda sit Varroni',[6]) Keilii coniecturam amplectimur.

Qui autem duo loci vulgarem huius particulae formam ostendunt, hi sunt: II, 4, 8 'Deinde it retro, quoad per-

---

1) Hoc docuit Keilius p. 40 n.

2) l. c. p. 39 sq.

3) 'Ineptum est quod Victorius dedit 'quod veniat', ante hunc autem legebatur 'quoad veniat', codices 'quod adveniat' habent'. Keil. l. c.

4) ad Lucr. p. 331.

5) l. l. p. 800.

6) Sic Keilius p. 40.

venit[1]) ad lanium' II, 7, 8 'Quoad satis sit admitti, ipsae significant quod se defendunt'.[2])

Tertium duobus his locis adiciam cuius Keilius nescio qua de causa mentionem non fecerit. Nam quod Politanus exhibet II, 2, 17 'quod ad', mutandum esse consentaneum est. Verba enim ibi leguntur haec: 'Et sic nutricantur quod ad facti sunt quadrimestres.' Iure igitur Lachmannus[3]) scribit 'quoad', quae particula ex observatione illa Keiliana forsitan iterum mutari debeat in 'quaad'.

Non restituenda, sed potius movenda est 'quoad' particula loco qui est I, 9, 5; quem locum quoniam supra descripsimus, nunc id unum repetimus scribendum esse 'quod ad'. Eadem expellenda est e Keilii sententia loco qui est III, 1, 10; quem locum editiones sic scribunt: 'Ego quoque, quo ornatior ea esse posset fructu quam factu, quoad facere possem, haec ad te misi recordatus de ea re sermones quos de villa perfecta habuissemus.' Qua in lectione Keilius[4]) 'Ineptissimum' inquit 'et re et sermone istud 'quam factu', pro quo cum codices habeant 'quod factu' et deinde 'quod' pro 'quoad', quis non videt oscitantiam librarii idem bis ponentis? Scribendum igitur: 'quo ornatior ea esse posset fructu, quod facere possem' cfr. Cato. 32: 'quod eius facere poteris' Cato. 33: 'quod eius poteris'.[5])

Iam summam facientes imaginem huius particulae exprimemus hanc:

I) Quoad.

De l. l.: V, § 15 (usque . . quoad) c. pr. ind.

---

1) 'Perveniat' quod exhibent editiones, recte mutavit Keil. p. 40 n.

2) Fortasse scribendum est 'quando'.

3) Ad Lucr. V, 1033.

4) l. c. p. 40.

5) cfr. Jordan. symb. crit. p. 338.

('so lange bis') IX, § 1 c. pr. coni. (in orat. obl.) ('so weit als').

De r. r.: II, 4, 8 c. pr. ind. ('so lange bis'). II, 7, 8(?); I, 37, 1 (?); II, 2, 17 (?)

II) Quaad.

De l. l.: VII, § 7 (?) c. pr. ind. ('so weit als')

De r. r.: a) c. pr. ind. ('so lange bis') I, 37, 1; 64, 2; II, 2, 11. III, 7, 8 ('quaad possunt'). b) c. perf. ind. ('so lange bis') II, 2, 11; 2, 15; 2, 17 (?) c) c. fut. I. ('so lange als') I, 1, 2; II, 7, 12 (usque q.) d) c. fut. II. ('so lange bis') I, 2, 26 (usque q.) e) c. pr. coni. ('so lange bis') II, 4, 21; I, 49, 1.

De particula **Postquam** id unum annotabimus, si codices sequimur, hanc formam in libris de l. l. omnino deesse, solam inveniri formam quae est 'posteaquam'.[1]) Qui autem locus unus in his libris illam ostendit, VII, § 1, p. 280, falsa O. Muelleri coinectura eam accepit. Verba enim in codice Florentino extant haec: 'repens ruina aperuit, ut verbum quod conditum est e quibus literis oportet, inde post aliqua demta sit obscurius fit voluntas inposterioris' quae verba C. O. Muellerus coniciendo corrupit sic: 'repens ruina operuit, ut si verbum quod conditum est e quibus literis oportet, inde postquam aliqua demta sit, obscurior fiat voluntas impositoris'[2])

Et de verbis, a quibus optimi codices in hoc libro incipiunt, 'repens ruina aperuit', nihil certi proponere audeo. Ea autem, quae sequuntur, sic restitui volo:

Ut verbum, quod conditum est e quibus literis oportet, inde post, aliqua demta, fit ob-

---

1) Exempla non extant nisi in libro V. eaque omnia verbum ab illa particula pendens in perfecto indicativi positum habent.

2) Sic jam Victorius, haud dubie recte.

scurius, sic voluntas impositoris. Non reprehendendum igitur . . .[1])

In libris de r. r. forma 'posteaquam' legitur III, 17, 9

---

1) Hanc coniecturam feci priusquam C. F. W. Muellerum (l. c. p. 797) idem de hoc loco suspicatum esse cognovi. Itaque si consensus aliquid valet, non recte coniecit Madvicus (l. c. p. 172): 'repens ruina operuit, ita verbum quom conditum est e quibus litteris oportet, inde post si aliqua demptast, obscurior fit voluntas impositoris'. Sed ideo quoque hanc Madvici opinionem reicio quod 'ita' contra Varronianum genus dicendi peccat: id quod infra ostendam. — In fragmentis legitur 'postquam' (cum perf. ind.) sat. Men. p. 162, 9; 192, 342. Antiq. rer. div. p. 124, 6. De vita pop, Rom. p. 27, 38 (?); 'posteaquam' (cum perf. ind.) sat. Men. 183, 240; 190, 330. De vita pop. Rom. p. 27, 37. p. 34, 5 (verbum deest).

Obiter commemorabo, Varronem semper dixisse 'antequam', nunquam 'anteaquam', saepius autem admisisse 'antequam' quam 'priusquam'. Etenim haec particula in libris de l. l. semel, in libris de r. r. sexies, illa in his libris vicies sexies, in illis septies posita est. Ac ne id quidem omittam, in libris de r. r. has particulas sequi praesens coniunctivi vicies semel, in libris de l. l. semel (VI, § 52, p. 228); quae differentia inde potissimum orta est, quod libri de r. r. refertissimi sunt praeceptis, quae ut in 'quaad' sic in his quoque particulis coniunctivum requirunt, libri de l. l. illius modi enuntiatis penitus carent. — In fragmentis legitur 'priusquam' sat. Men. p 212, 561. (c. pr. coni.) De vita pop. rom. p. 32, 13 (c. imperf. coni.); 'antequam' sat. Men p. 204, 477 (c. plusqpf. ind.); de vita pop rom. p. 28, 48 (verbum deest). — Quoniam de particulis temporalibus agimus, adiungere liceat, eam quae est dum in libris de l. l. septies occurrere, in libris de r. r. fere ter septenis exemplis comprobari. — Dum modo in libris de l. l. omnino non extat; in libris de r. r. semel legitur qui locus est III, 17, 9; in fragmentis sat. Men. p. 187, 285. De vita pop. rom. p. 38, 9; (cfr. ibid. p 38, 11 'si modo'). Simplex particula 'dum' cum eodem hoc sensu adhibetur in libris de l. l. IX, § 105, p. 533; in libris de r. r. I, 35, 2 (dum . . ne). 'Modo' vocabulum pro 'dummodo' Varro nunquam admisit.

Duntaxat in libris de l. l. omnino nusquam reperitur, in libris de r. r. omnia exempla conquisivi, haec: I, 27, 3; 40, 6. — II, 1, 2. — III, 3, 6; 3, 9. — In fragmentis extat sat. Men. p. 189, 317.

(ubi propter orationem obliquam coniunctivus plusquamperfecti obtinet), 'postquam' sicut in libris de l. l. mihi nusquam occurrit. Nam qui loci eam tenere videntur, ex iis unus, III, 1, 2 ex Ennio petitus est; alterum III, 9, 12 scribendum patet 'quatriduo post quam incubari coepit' cfr. I, 63, 1; 39, 2.

De **Quo** particula aliter sensisse Varronem in libris de l. l., aliter in libris de r. r. ita ostendam, ut primum formulae, quae est 'non quo (non)' inveniri doceam pauca exempla in libris de r. r., nulla in libris de l. l., deinde alienam esse a libris de l. l. formulam quae est 'quo — eo', in libris de r. r. nonnunquam in usu versari exponam. Atque ut ab illa formula proficiscamur, libri de r. r. eam praebent his locis: II, 1, 3 ('non quo non ego pecuarias in Italia habeam, sed non omnes qui habent citharam, sunt citharoedi'). III, 14, 4 ('non quo non in his regionibus quibusdam locis eae magnitudinibus [non][1]) sint dispariles'.) III, 16, 15 ('non quo non .. collocarint').

E libris de l. l. cum his nescio an comparare liceat locos qui sunt V, § 62 p. 68 (non quod vincere velit Venus, sed vincire); IX, § 40 p. 484 (non quod . . commoveat, sed quod . . imponunt) — quorum in numero e libris de r. r. referendus est ille, qui est I, 5, 2 ('Isti libri non tam idonei iis qui agrum colere volunt quam qui scholas philosophorum; neque eo dico quod non[2]) habeant et utilia et communia quaedam').

---

1) 'Non' quod uncis inclusi, suppeditant lectiones Victorianae; deleverunt iam veteres quaedam editiones, et Gesnerus putat oblitum modo esse delere Victorium.

2) 'Non' in Politiani excerptis deest. 'Quo' Ursinus magis placiturum esse dicit quam 'quod'. Mihi quidem nulla videtur esse causa mutandi; aliud enim est dicere 'non quo non', aliud 'non eo quod'.

Ad alteram deinde formulam quae est '**quo — eo**', ut transeamus, enuntiata hoc modo Varro in libris de l. l. nunquam inter se conexit; in libris autem de r. r. haec formula in usum venire coepit, siquidem haec pauca exempla eam ostendunt: I, 32, 1 'Arationes . . . eo fructuosiores[1]) fiunt,[1]) quo calidiore terra aratur'.[2])

Omissa est particula 'eo' in his: I, 40, 4 'plantae solum stabilius, quo latius . . radices . . mittit' II, 3, 3 'ovium semen tardius esse, quo hae sint placidiores.) Restituendam esse hanc formulam cum Ursino putat Schneiderus I, 9, 6 ubi quae in codicibus est particula 'quod' mihi a ceteris editoribus recte servata esse videtur. Itaque ego locum sic lego: 'In mediocri terra, ut in Tiburti, quod propius accedit ut non sit macra quam ut sit ieiuna, eo ad omnes res commodior'.[3])

Hic mihi liceat commemorare particulam **adeo;** quae in libris de r. r. certis quattuor exemplis comprobatur, in illis, quos de l. l. habemus, omnino non extat. Quattuor autem exempla sunt haec: I, 40, 1 (usque adeo parva, ut sint obscura); II, 4, 11 (sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit[4]).) III, 4, 1 (Atque adeo[5]) non dissimulabo quod volo, de ornithone primum); 16, 31 (permanent adeo libenter, ut . . sint contentae[6]).)

Quamquam particula in libris de l. l. non ex-

---

1) 'fructuosior fuit' Pol.

2) 'arator' Pol.

3) Apud Plautum, fortasse apud Terentium quoque, haec formula nunquam reperitur; cfr. Petrum Langen. l. c. p. 289.

4) 'Usque adeo' a Cornelio Nepote nusquam, 'usque eo' pluribus locis dictum esse, Nipperdeius docuit op. p. 63.

5) De hujus formulae sensu vide Handium l. c. I, p. 503 et Langenium l. c. p. 143.

6) In fragmentis legitur sat. Men. p. 193, 364.

tat;[1]) in libris de r. r. eam ostendit locus hic unus III, 14, 4:[2]) 'Genera coclearum sunt plura, ut minutae albulae, quae afferuntur e Reatino, et maximae, quae de Illyrico apportantur, et mediocres, quae ex Africa afferuntur. Non quo non in his regionibus quibusdam locis eae magnitudinibus sint dispariles: nam et valde amplae sunt quamquam ex Africa, quae vocantur solitannae'.

Pro 'quamquam' Gesnerus 'Puto' inquit 'fuisse 'quemadmodum'. certe τῇ quamquam qui locus esse possit, non video.'

Nos de hoc loco sic iudicamus. Ac primum quidem sibi velle videntur verba hoc: 'Quamquam ex Africa fere mediocres afferuntur, tamen quae (inde ortae) solitannae vocantur, valde amplae sunt'. Quo in sensu haud scio an nihil sit offensioni neque etiam in eo quod haec particula elliptice in usu versatur. Nam quamquam excursu a Madvico ad Ciceronis de finibus libros p. 726 egregie facto constat, Ciceronem hanc particulam 'sine verbo cum adiectivo participiove aut adverbio vocibusve pro adverbio positis nunquam coniunxisse' atque hoc idem non solum de Cicerone, sed etiam de eius aequalibus valere, tamen (id quod ex eodem excursu cognoscimus) et apud Ciceronem et apud ceteros omnes scriptores hae particulae concessivae saepe ita ponuntur 'ut id quod subiciatur cum eo quod contrarium sequatur, commune verbum habeat'. Itaque particulam 'quamquam'

---

1) Qui locus est in libris de l. l. VII, § 109, p. 388, ibi 'quamquam' iam ab antiquis editoribus recte mutatum est in 'quam quod'.

2) Codices hanc particulam habent etiam II, 5, 10, editiones 'quam qui':

'quod eo magis fit, quod albi in Italia non tam frequentes quam qui in Thracia ad *μέλανα κόλπον*, ubi alio colore pauci.' delendum esse alterum 'quam' ac sribendum 'quam in Thracia' recte iubet Keilius l. c. p. 53.

hoc loco tenemus; mirum autem sane admodum, quod haec vox alioquin tritissima apud nostrum fere nunquam in usu versatur.[1])

De alia particula concessiva quae est **Etsi** statim nunc agendum est: ea enim in libris de r. r. omnino non invenitur,[2]) in libris de l. l. ter nobis occurit, qui loci sunt hi: V, § 57, p. 63 'Principes dei Caelum et

---

1) Schneiderus pro 'quamquam' scripsit 'quaedam', veteres quasdam editiones secutus. — Ceterum praetermittere non possum quin Gesneri coniecturam, si dis placet, usque ad internecionem perimam: nam quam vir doctus in contextu poni vult particulam 'quemamodum', ei non id inesse quod vult, Varroniano huius particulae usu demonstratur. Etenim quae exempla eam prae se ferunt, ad unum omnia propriam eius significationem retinent 'ad quem modum' vel 'quo modo'; numquam ita eam positam habent, ut rem quandam exemplo illustret (quod est nostrum 'wie zum Beispiel'). Iam ipse inquiras exempla: I, 1. 4; 2, 22. 25. 2, 27. 28; 16, 6; 18, 5. 5; 40, 5. II, 1, 15; 3, 1. III. 9, 2. 2. 2. 2. cfr. Sat. Men. 194, 366. De vita pop. rom. p. 34, 7. Logistor. frg. p. 248, 9: quae omnia ad interrogationem obliquam pertinent; in recta hoc unum inveni I, 37, 2. Denique comparando inservit duobus his locis I, 42, 1; III, 7, 11 ita tamen, ut neutrubi 'sic' particula aliave eius modi respondeat. Contra libri de l. l. c. comparationis praebent exempla haec: IX, § 24 (q. — eodem modo). § 52 (q. — sic); cfr. § 112. X, § 46. 49. et omissa quae respondeat particula X, § 53. 53. 59. Atque hunc quidem locum, quem codices sic exhibent: 'Nam nonnumquam alterum ex altero videtur, ut Chrysippus scribit, quemamodum pater ex filio et filius ex patre' unum habes in his libris, ubi exemplum 'quemadmodum' inducit; qui tamen locus non sufficit ad illam Gesneri sententiam stabiliendam, ideo quia alia est verborum structura hic quam illic. Illo enim loco quem Gesnerus dicit, propria huius particulae significatio, comparativa, prorsus evanuit, hoc loco quem e libris de l. l. attuli, intacta mansit.

2) De iis scriptoribus qui hac particula plane abstinent, ut Sallustius, Quintilianus, alii, vide Ed. Woelfflinium in mus. rhen. vol. XXXVII (a. 1882), 1, p. 100.

Terra: hi dei idem qui Aegypti Serapis et Isis, etsi Harpocrates digito significat ut taceas eam'. Ita Spengel. et Mueller.[1]) — IX, § 92, p. 525 'De hoc etsi supra responsum est, hic quoque amplius adiciam'. VIII, § 82, p. 453 'Nam ut Athenaeus dicitur rhetor nomine, etsi non sit[2]) Atheniensis, in hoc ipso analogia non est'.

Quoniam singula deinceps genera particularum, si quid ad nostram conferrent disputationem tacite perlustravimus, nunc de aliis quibusdam singularibus, maxime adverbiis quae nos vocamus, verba faciemus; ac primum quidem de ea quae est **Exinde.** Quae in libris de l. l.,

---

1) Codex Flor. id quod Grothius primus ostendit (l. c. p. 24, n. 89), non 'ut taceas eam' habet, sed 'ut tata seamidem'; quae verba in Havniensi fideliter sic scripta sunt: 'ut tota se am idem'. Verba 'taceas eam' Spengel. oriunda esse suspicatur e duplici scriptura: 'taceas' et 'taceam'; quod posterius Turnebus affert et Grothius l. c. de suo proponit; 'ut taceas' tacite ex Florentino Politianus, quem ante Victorium hunc codicem excussisse constat. (cfr. Spengel. in praefat. p. IX)

2) De coniunctivi modi post has particulas usu vide Reisigium in schol. lat. p. 304. —

NB. De ceteris particulis concessivis quas omnino raro noster adhibuit, pauca hic addere mihi liceat. Et 'etiamsi' in libris de l. l. obviam fit hoc uno loco X, § 35, p. 564, in libris de r. r. III, 16, 31, in sat. Men. p. 211, 554; 'tametsi' in libris de l. l. VII, § 107, p. 386; V, § 88, p. 91; in libris de r. r. I, 18, 2; III, 1, 8; II, 4, 1; 5, 10; 7, 9; 11, 4; 'licet' concedendi facultatem prae se fert in libris de l. l. VII, § 2, p. 283; in libris de r. r. numquam (de loco quem editores sic intellexerunt III, 9, 4 cfr. Keil. l. c. p. 42.); 'quamvis' in libris de l. l. V, § 24, p. 41 (de quo loco infra accuratius disseram); VIII, § 33, p. 416 (cum indicativo); IX, § 56, p. 497 in.; X, § 5, p. 546; in libris de r. r. I, 2, 23; III, 7, 1; 9, 8. II, 2, 6(?); I, 40, 5. II, 5, 1; I, 4, 3. De vita pop. rom. p. 35, 8. 'quum' particulae exempla (quae plura sunt in libris de l. l. quam in libris de r. r. — sunt autem in his tria quattuorve, in illis circiter viginti) — non enumeramus.

si codices sequimur, omnino non extat; at in loco V, § 151, p. 151, quem codices exhibent sic:

'Quod Syracusis, ubi de causa custodiuntur, vocantùr latomiae, et de Lautumia translatum, quod hic quoque in eo loco lapidicinae fuerunt.'

Turnebus pro verbis 'et de' intulit 'exinde', quam coniecturam Spengelius optimam arbitratur. Nos eam repudiamus ac Muellerum potius sequimur Iordanumque[1]) scribentes 'inde'[2]).

E libris de r. r. huius particulae exempla affero haec: I, 20, 4 (Alii asellis, alii vaccis ac mulis utuntur, exinde ut pabuli facultas est. Nam facilius asellus quam vacca alitur, sed fructuosior haec); I, 24 ('Factum' alii CLX aiunt esse modiorum, alii ita minus magnum ut ad CXX descendat et exinde ut vasa olearia quot et quanta habeant) — quibus duobus in locis ad proportionem et rationem hanc vocem referri videmus[3]). — Primaria huius particulae significatio quam esse localem constat cernitur I, 28, 2, quamquam ad tempus describendum translata: 'ad aequinoctium autumnale dies LXVII. exin[4]) ad Vergiliarum occasum dies XXXII.' cfr. I, 31, 3: '(Palma) dicta primo videtur a pariendo, parilema; exin mutatis literis, ut in multis, dici coepta palma'.[5])

---

1) Topogr. rom. I. p. 507.

2) Quoniam hunc locum tetigimus, accuratius in cetera verba inquirere nobis liceat. O. Muellerus enim ante alterum 'quod' addidit 'vel', quam correctionem loci ipsius sensu et Varronis more satis commendari dicit. At neque morem hunc Varronianum intellego neque loci ipsius sensu illud 'vel' postulari video. Alterum enim illud 'quod', in initio enuntiati positum, translatam esse vocem Lautumiae indicat, alterum vero ipsam nominis causam demonstrat cf. C. F. W. Mueller l. c. p. 792 n. 1,

3) Cfr. Georg. Wichert. 'Lateinische Stillehre' p. 137 extr.

4) De hac particulae forma, cfr. Lachmann. ad Lucr. III, 159,

5) De hoc loco vide Keilium p. 23. — Hic mihi liceat paucis

Propriam esse Varronis in libris de r. r. **Quam** particulae collocationem, quae sit a libris de l. l. aliena, colligere licet his locis:

I, 6, 3 (nec non susum quam deosum tardius seruntur ac metuntur); 13, 4 (quod enim confracuit quam quod recens melius sc. stercus[1]); 22, 4 (vetera enim quam nova . . pluris); 31 (nam id (sc. pampinare) quam putare maius); 45, 3 (radicum materiam aliam quam aliam longus proicit natura). — II, praef. 1 (qui in oppido sederent quam qui rura colerent, desidiosiores putabant); praef. 5 (pabulum . . compascere quam vendere plerumque magis expedit); 3, 1 (novella enim (capra) quam vetus utilior); 4, 22 (minor grex quam maior minus sumtuosus); 5, 9 (prior quam posterior melior)[2];

---

disserere de particulis quae sunt 'proinde' et 'perinde'. Et haec quidem apud Varronem nullo in usu versatur; 'proinde' autem et cum 'ut' et cum 'ac' particula iuncta invenitur. Itaque 'proinde ut' legitur VI, § 14, p. 196 extr; IX, § 51, p. 492. De r. r. I, 48, 1 (cf. Keil. p. 35.); III, 17, 4; II, 1, 27; I, 2, 19. De vita pop. rom. p. 23, 16 — quibus in locis ironice potissimum obiciendo inservit ac vertendum est 'gerade als ob'. (cfr. Kettner. 'Kritische Bemerkungen . . .' p. 6). In iis autem qui sunt de l. l. VI, § 54 p. 231 in (cfr. Lachm. op. p. 184 extr.), de l. l. XVIII, p. 166 (Wilm.) fere idem valet quod 'ita ut', id quod vertimus 'so beschaffen dass'. Denique comparando inservit (et cum indicativo ponitur) De r. r. III, 16, 30. Sat Men. p. 209, 535. De vita pop. rom. p. 25, 31. — 'Proinde ac' positum est De r. r. II, 4, 10; III, 8, 1 De l. l. VI, § 45, p. 226. VIII, § 17, p. 404 (cf. C. F. W. Mueller. l. c. p. 795); X, § 16, p. 553; § 79, p. 588 (quo loco idem valet quod 'proinde ut'). Alia exempla attulit Kettnerus l. c. haec duo: Rer. div. XIV. ap. Gell. I, 18, 2; Rer. hum. XXI. ap. Gell. XIII, 12, 6.

1) Sic Keilius l. c. p. 46, paulum recedens a codicum scriptura 'quod enim quam recens quod confacuit melius' :quam lectionem Kettnerus l. c. p. 24 incolumem amplexus est, una 'confacuit' voce mutata in confracuit'.

2) Fortasse de hoc loco recte coniecit Zahlfeldt, l. c. p. 31 sq.

8, 2 (id lacte quam asininum et alia omnia dicunt esse melius). cfr. sat. Men. p. 161, 5 (neque vetulus canterius quam novellus melior).

Haec habeo exempla quae huc pertinent; multa esse praeterea alia in libris de r. r. quae solitam particulae collocationem ostendunt, non opus est dicere. Et in libris quidem de l. l. scriptis numquam ab ea recedit noster excepto hoc uno loco VIII, § 13, p. 401. (De eorum declinatione quam de verborum ante dicam) qui si recte se habet locus, hanc verborum collocationem studio debet vocabulorum quae sunt 'ante' et 'dicam' inter se coalescendi et compositum quod vocamus efficiendi.[1])

Imprimis vocabulo in libris de l. l. noster non usus est, pro quo adhibuit locutionem 'in primo' eamque hoc uno loco VII, § 2 p. 283. Libri de r. r. illud vocabulum positum habent his locis: I, 2, 8 (Duo inprimis

---

Vult enim scribi 'prior q. p. crebrior'. Codd. 'in eo prior'; Victor. coni. 'melior'.

1) Cfr. de l. l IX, § 104, p. 533 'est ac putant aliter'. — Reliqua in his libris huius generis exempla, quae verba a tritissima ratione paulo diverse collocata habent, VIII, § 79, p. 450 ('in eo potius sequendam, quam consuetudinem, rationem'); IX, § 28, p. 474 ('An aliter hoc fit, quam in aëre, in aqua'?), X, § 42, p. 568 ('diligentius, quam alii, ab Aristarcho grammatici'), ea huc non pertinent; rhetorica enim causa adductus hanc noster in ordinandis vocibus viam ingressus esse videtur. — Liceat hic mihi pauca de re quadam dicere, quam nuper Carolus Rothe apud priscos Romanorum scriptores observavit, post gradum comparativum rarissime poni 'quam ut', in consuetudine esse solam particulam 'quam'. ('Quaestiones grammaticae ad usum Plauti potissimum et Terentii spectantes' Berolini 1881. cfr. philolog. Rundschau a. 1881 nro. 47). Apud Varronem quidem legitur 'quam' pro 'quam ut': Sat. Men. p. 213, 573 (?) [Rer. div. p. 206, 1]. De r. r. I, 16, 4; 'quam ut' De l. l. V, § 176, p. 176; VI, § 67, p. 243. De r. r. I. 16, 5. De vita pop. rom. p. 39, 14.

spectasse videntur Italici homines colendo); 13, 2 (Inprimis culina videnda, ut sit admota); cfr. 29, 1 (?); 41, 1; 42, 1. II, 2, 4; 7, 6[1])

Non omittam, praepositionem quae est '**secundum**' in libris de l. l. sensu esse et locali et modali, in libris de r. r. praeterea temporali. Conferas enim locos qui sunt II, 6, 4 (secundum partum); 9, 12 (s. partum); 5, 12 (s. astri exortum); 4, 13 (s. ea = ἐπὶ τούτοις e Scaligeri coni.). III, 9, 16 (s. novam lunam); 10, 7 (s. cibum).

Ac ne id quidem tacebo, particulam **Circiter** in libris de l. l. pro adverbio adhiberi, in libris de r. r. et adverbium esse et praepositionem. Et in his quidem libris adverbii munere ita fungitur, ut numeris adiciatur; praepositio est I, 39, 2 (c. solstitium); II, 2, 11 (c. meridianos aestus; 11, 7 (c. ordeaceam messem. III, 5, 7 (c. aequinoctium); 8, 3 (c. messem[2]).) — In libris de l. l.

---

1) E ceteris eiusdem modi adverbiis 'praecipue' legitur tantummodo de r. r. II, 8, 4; 'praesertim' bis in libris de l. l. ('pr. cum') (VII, § 4 p. 285; VIII, § 59 p. 435) (cfr. sat. Men. p. 213, 572), quinquies in libris de r. r.: I, 59, 2 (pr. quidem cum); 13, 2 (pr. si); II, 5, 3; 10, 3; III, 2, 3 — 'Potissimum' et 'Maxime' saepe leguntur, saepius autem in libris de r. r. quam in libris de l. l.

2) Uno hoc loco II, 9, 11 legitur 'Pariunt circiter solstitio', quod facile quis defendat auctore Handio (Turs. II, p. 71 sq.) locisque nisus qui sunt Plauti Most. 3, 1, 52 (redito huc circiter meridie), Sat. Men. p. 185, 269 (noctis circiter meridie). At illo loco legendum esse 'meridiem' Ritschelius docuit cfr. Lorenz. l. c., hoc vero loco ablativus rectene se habeat, vehementer dubito. Itaque haud scioan illo quoque de r. r. loco, II, 9, 11 legi oporteat 'solstitium'.

Notare hic liceat particulam '**circa**' quam, ut Handii verbis utar (l. c. p. 51), 'nec Plautus dixit, nec Terentius, nec Lucretius, numquam Sallustius et Varro', apud Varronem duobus his locis traditam esse, de l. l. V, § 88 p. 90 extr. (Cohors quae in villa, quod circa eum locum pecus cooreretur), de l. l. XXIII, (ap. Wilm. p. 167, 35). Deteriores codices editionesque hanc particulam male

huius particulae exempla inveni haec duo: VI, § 36 p. 216 (c. quingentae species); VII, § 76 p. 356 (Huius ortus significat circiter esse extremam noctem.

Liceat mihi h. l. de re quadam verba facere quae, si recte sit animadversa, et ipsa discrimen inter Varronis de r. r. et de l. l. libros efficiat. Vir enim clarissimus. C. F. W. Muellerus[1]) de loco qui est IX § 23 p. 471 disputans pro 'nomen' vocabulo, quod corruptum esse consentaneum est, in codice fuisse **'noenum,** suspicatur, neque solum hoc loco, sed aliis quibusdam quos statim afferam: IX, § 94 p. 527 pro eo quod in codicibus falso proditum est 'non enim'; IX, § 79 p. 514, ubi veteres libri ad unum omnes legunt 'nova non'; IX § 112 p. 539 extr. pro ea quae codicum est scriptura 'non in.'

De quibus locis Muellerus l. c. in hunc modum disserit. 'Was hinter diesen höchst auffallend gerade der Partikel non übereinstimmend anhaftenden Anhängseln zu suchen ist, das zu wissen werde ich mich hüten mi voller Bestimmtheit zu behaupten, aber das glaube ich vertreten zu können, dass jedem, der sich erinnert, dass

---

exhibent V, § 25 p. 42, qui locus in codice Flor. sic legitur: 'Puteoli, quod incircum eum locum aquae frigidae et caldae multae'. Illi quos dixi libri pro verbo 'incircum' habent 'sint circa'. Et profecto offensioni est particula nusquam alibi nec ab nostro nec ab alio aliquo scriptore admissa; itaque Handius (l. c. II, p. 358) 'Dubito' inquit 'vehementer de usu praepositionis non adverbiali; sed exspecto adhuc defensionis argumenta, nondum a viris doctis exposita'. Nos quidem lectionem quae est 'sint circa' falsam esse credimus, sed de tradita lectione cum Handio dubitamus. Itaque si emendatione opus est, nobis potissimum placet 'in' particula remota legi 'circum', qua particula saepissime noster usus est. — Eadem atque 'incircum' ratione formatum est vocabulum 'inversum', quod apud nostrum extat VII, § 82 p. 361.

1) l. c. p. 423.

die Form noenum von Nonius p. 144 [Warum trotzdem von Corssen Vocal. I, p. 196 n. noenum nur als eine Form des Lucilius[1]) angeführt worden ist, weiss ich nicht] ausdrücklich aus der epistula ad Fuffium des Varro[2]) angeführt wird, die Vermutung sich aufdrängen muss, dass alle jene Verderbnisse nichts als Entstellungen des ursprünglichen noenum oder noenu sind. Dazu kommt, dass wenn noenum aus ne oenum entstanden, also eine Verstärkung von non ist, an allen jenen Stellen diese Form gut passt.'

Nos priusquam de viri doctissimi opinione iudicium faciamus, consilio eius agere nobis videmur, si hos quoque locos huc referimus: V, § 26 p. 43 ubi 'nomen' codices iterum falso exhibent; VIII. § 69 p. 443, quo loco plurimi in eo quod traditum est 'noti' negationem 'non' delitescere putaverunt.

Et sane mirum, quod vulgo existimant, his omnibus locis 'non' particulae corruptelam accidisse; quamquam facillime hanc negationem velut cum 'nomen' vocabulo compendiose exarato commutari potuisse nemo non videt[3]). Itaque lenitate mutationis nullo modo adducimur, ut coniecturam Muelleri amplectamur. Quod vero eandem coniecturam sensui putat omnium illorum locorum aptissimam esse, de iis locis qui sunt IX, § 23 p. 471; § 112 p. 539 extr., hoc prorsus denego. Denique quo

---

1) cfr Lucil. ed L. Mueller. p 267. De ceteris qui hanc particulam praebent scriptoribus vide Lachmannum ad Lucr. III, 198. Ritschel op II, p. 242. Buecheler. in Fleckeiseni annal. tom. 87. (a. 1863) p. 774; Fleckeisen. ipsum ibid. 1865 p. 620. Ribbeck. Scen. rom. poes. rel. ed. II. vol I. in ind. verb. p. 331 (cfr. corollarium p. XXVIII.); vol. II. p. 443 (cfr. p. 349 v. 494) Langen. l. c. p. 263 sq.

2) cfr. Riese. l. c. p. 259 (si hodie noenum venis, cras quidem . . veneris).

3) cfr. Spengel. in praefat. edit. p. XVII.

tertio Muellerus nititur argumento, quod Nonius illius negationis exemplum e Varronis ad Fufium epistula commemoret, hoc testimonium Nonianum levioris momenti fit, si tecum reputas, 'noenum' ex epistula laudari, in qua vel optimae notae scriptores non raro ad vulgare genus dicendi delabi constat.[1]) Quare magis expectes, ut in familiari sermone quem fecit de r. r., Varro illam particulam adhibeat; in doctrina vero librorum de l. l. eum tam saepe illa usum esse ego non credo. — Postremo si Ciceronis aequalem esse Varronem cogitamus, quamvis 'omnem ornatum et elegantiorem enuntiatorum coniunctionem consulto eum vitasse et quasi defugisse ac Ciceroni de industria obnixum esse' constet,[2]) tamen ad Ciceronis aetatem Varronis non illud quidem 'abruptum et neglegens scribendi genus',[3]) at delectus verborum quodammodo convenit. Qui enim locus Varronianus praebet particulam 'ast'? qui 'absque'? qui alium aliquem e multis quos scimus prisci sermonis flosculis? Hic credemus in libris de l. l. Varronem tam saepe particula 'noenu' usum esse? Ego quidem ut credam a me non impetro; ac ne Muellerus quidem ipse credit.[4]) Tamen belle suspicatus est, ita ut de eo loco qui est IX, § 94 p. 527 iure ab eo dictum videatur 'dass einem jeden dieselbe Vermutung sich aufdrängen muss.'

Sed iam singula exempla breviter describamus! Itaque hoc loco quem ego addidi V, § 26, p. 43

Stagnum a graeco *στεγνόν*, quod nomen habet primam.

---

1) Cicero ipse, si Mediceo codici fides est, dicit 'noenum rebatur' ad Att. VII. 3, 8; cfr. Lachmann. l. c.

2) cfr. Wilmanns. l. c. p. 44.

3) Wilm. l. c.

4) 'ich werde mich hüten, mit voller Bestimmtheit zu behaupten' Muell. l. c.

sensu est Muelleri coniectura optimo, siquidem 'vocant Graeci στεγνόν, quod **minime** rimosum est et fideliter continet.'[1]) Tamen magis mihi probatur quod Spengelius[2]) existimat, 'si quem alium auctoris locum, hunc certissime restituisse Scaligerum sic: 'quod non habet rimam.'

Altero illo loco, ubi idem hoc 'nomen' in veteribus libris falso pro negatione 'non' posita esse putatur IX, § 23, p. 471, particulae 'noenum' locus mihi nullus esse videtur. Optime enim respondent ea quae sequuntur 'in verbis quoque non esset', praecedentibus verbis 'Si enim usquequaque **non**[3]) **esset** analogia . .'

Contra maxime haec Muelleri coniectura convenit ei loco qui est IX, § 94, p. 527 'Sic aliud, si quid assumptum erit extrinsecus . . ., non enim erit remotum ab[4]) natura. Neque enim . . .'

Etenim cum futuro ('erit') hic significatio insit imperativa, 'noenu' particula, ut qua iussum admodum augeatur, aptissima est. Sed primum non bene accidit, ut 'enim' iuxta 'erit' vocabulum consistat, quoniam de dittographia cogitari potest, deinde ut statim alterum 'enim' sequatur, quod a librario illuc translatum esse facile credas. Quam ob rem Muelleri coniecturam veram esse ne hoc quidem loco mihi persuasi; ego, dum plures atque graviores illi testes existant, codicem Havniensem sequor, cuius lectionem etiam C. O. Muellerus in contextu habet 'non erit remotum'.[5])

---

1) Scaliger in Coniectan. p. 21.

2) cfr. praef. edit p. XVII.

3) cod. F. 'nomen'.

4) Sic F.; cfr. Groth. p. 61.

5) 'Non enim' pro 'noenum' constanter habent exemplaria Ciceronis versu illo Enniano: 'Noenum rumores ponebat ante salutem, ubi non dubitandum est quin Ennius scripserit 'Noenum'. cf. Lachm. l. c. p. 150.

Longe a vero particula 'noenu' abest IX, § 112, p. 539 extr. quem locum Spengelius e codice Florentino expressit sic: 'quemadmodum is, qui [cum][1]) peccat in his verbis, ubi duobus modis dicuntur, non tollit rationem cum sequitur falsum, sic etiam in his quae **non in** duobus dicuntur . . ., non scientiam tollit orationis . . . .'

Praepositionem 'in' h. l. offensioni esse patet; quam C. O. Muellerus vulgatam secutus cum Vertranio et Scioppio delevit, C. F. W. Muellerus una cum 'non' particula in 'noenu' mutavit. At si verum est hanc particulam constare e verbis 'ne oenum', itaque multo plus valere quam 'non' atque vi esse eadem qua nostrae sunt locutiones 'nicht im mindesten', 'ganz und gar nicht', 'keineswegs', ego quî h. l. obtineat non intellego. An recte eum loqui existimas, qui cum dicere velit 'haec verba duobus modis dicuntur, illa **uno** dicuntur', si hoc idem negative exprimat, 'noenu' particula utitur sic: 'haec verba duobus modis dicuntur, illa **noenu duobus** dicuntur?' Mihi quidem ad huius modi contraria inter se opponenda solita negatio sufficere, 'noenu' autem cum exaggerati aliquid in se habeat, non modo inutiliter, sed prorsus falso posita esse videtur. Deinde si ad hunc locum verba retuleris quae Muellerus fecit (l. c.) 'das verlange ich, dass nicht die pure Streichung eines Wortes als eine Textesemendation ausgegeben wird, ohne dass auch nur Miene gemacht wird zu erklären, wie so es dorthin gekommen sein könnte', quam ad voculam quae est 'in' non quadrant! Facillime enim qualicunque librarii errore illam nasci posse elucet.

---

1) 'Cum' Speng. recte delendum putat. Aliter de hoc loco sentit C. F. W. Muellerus l. c. p. 798 sq.; vult enim scribi 'is quicunque', quam locutionem a libris de l. l. plane alienam, ea quae in libris de r. r. (II, 7, 8) extat 'is . . quiqui' nequaquam confirmatam esse credo.

Alius est locus, ubi Muellerum sua coniectura genuinam lectionem assecutum esse credas IX, § 79, p. 514: 'Haec ostendunt nova non analogian esse, sed obliquos casus non habere caput ex sua analogia.' Sic enim codices,[1] non quod a Spengelio ac Muellero in contextu positum vides 'Haec ostendunt non analogian non esse, sed . . .'

Atque hoc alterum 'non' etiam C. F. W. Muellerus probat (nescit, non traditum esse), e duobus autem illis 'nova non' vocabulis 'efficit nocnu'. Cui negationi sensus loci admodum favet; causam cur recipiamus eam non video. Ego in 'nova' voce quid delitescat si quaero pronomen potius quod est 'nobis' legendum propono,[2] sic: 'Haec ostendunt nobis non analogiam non[3] esse, sed..'

Scito enim Varronem his verbis suam suaeque factionis sententiam adversariis opponere, quare qui inutile esse pronomen arbitrantur, nihil dicunt.

Restat ut de uno huius negationis exemplo disseram, quod ego attuli VIII, § 69 p. 443 'Si[4] enim, ut quidque in obliquis casibus discrepavit, dicere potuit, propter eam rem rectos casus noti esse similes: —' Vulgatae lectionis pro 'noti' est 'non', quod et veteres quidam editores et nostri in contextum receperunt. Muellerus haud scio an hunc quoque locum, ut qui corruptam praebeat negationem, in exemplorum illorum numero rettulisset; ego quam illi adhibuerunt medicinam probare non dubito.

Quare quoniam omnia huius particulae exempla,

---

1) cfr. Groth. l c. p. 59, n. 371.

2) V et b, a et i litteras saepissime in his libris (sicut alibi) inter se commutatas esse docent C. O. Muellerus praef. p. XXII; C. F. W. Muellerus l. c. p. 868 Groth. l. c. p. 7.

3) 'non' e vulgata lectione recipio.

4) Codd. 'sic'.

et quae Muellerus attulit et quae facile quis attulerit inquisivimus, nullum in libris de l. l. pro certo asserendum esse existimo; in libris autem de r. r. scriptis nemo adhuc vestigium illius particulae invenit.

Pars altera.
De linguae Varronianae proprietatibus quibusdam maxime memorabilibus. Accedunt coniecturae.

Dicam in hac altera parte libelli primum de particulis quibusdam, quae ad artem criticam in Varrone exercendam valde pertinent, aliae quia apud ceteros scriptores usitatissimae sunt, apud nostrum rarissime in usu versantur, aliae quia memorabilem quandam ac propriam usus rationem ostendunt. Cuius disputationis initium capiam a particula quae est

Que.

Cuius in libris de l. l. circiter decem et octo exempla inveni, libri de r. r. quater octona dena ostendunt. In quo notandum est, longe plurimos huius particulae locos aut pronomini demonstrativo aut particulis quibusdam quae ab eadem radice profectae sunt (velut 'ideo', 'item'), eam annexam habere. Itaque legimus de l. l. V, § 22 p. 32 ab eoque; VII, § 47 p. 333 eorumque; IX, § 47 p. 489 idque; V, § 157 p. 157 ibique; § 74 p. 79 itemque; VI, § 89 p. 267 itemque; IX, § 104 p. 533 ideoque.

De ceteris huiusmodi exemplis accuratius disserere oportet. Atque IX, § 114 p. 541 ubi codices sic habent: 'Confitendum est esse analogias. Item quae . . . fatendum illud quoque modo analogian sequi nos debere' pro 'item quae' scribendum esse 'Itemque' sensu loci intelligitur. Quare scripserunt ita et veteres aliquot editores et nostri. — IX, § 74 p. 511 in codice Flor. pro-

ditum est: 'Ad huiuscemodi vocabula[1]) analogias esse . . ubi magnitudo animadvertenda sit in unoquoque gradu ea quae sit in usu communi, ut est Cista Cistula Cistella et Canis Catulus Catellus.[2])'

Verba 'ea quae' Muellerus mutavit in 'eaque',[3]) quam ego lectionem amplector. Duas enim res Varro dicit illiusmodi vocabula in se habeant oportere: primum ut magnitudo rerum quas significant in unoquoque gradu in conspectu fiat, deinde ut unaquaeque magnitudo sit in usu communi.

IX, § 68 p. 506 in codice Flor. legimus: 'Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicae balneae, non balnea, contra quod privati dicant unum balneum, quod plura balnea[4]) non[5]) dicant. Quibus responderi potest, non esse reprehendendum, quod Scalae et Aquae Caldae, pleraque quae cum causa multitudinis vocabulis sint appellata neque eorum singularia in usum venerint.[6]) Idemque item contra.'

Varro igitur refutare vult sententiam eorum qui analogiam esse negant vel reprehendunt, quod publicae dicantur Balneae, non Balnea, privati dicant Balneum (quod unum significat), non Balnea (quod plura designat). Quod ita facit, ut '**cum causa**' pleraque multitudinis (vel singularis numeri) vocabulis appellata esse

---

1) Haec verba Spengel. corrupta esse putat in philol. XVII, pag. 304.

2) De his verbis vide Christium in philol. XVI, et Spengelium ibid. XVII, p. 304.

3) Ceteri praeter Florentinum codices exhibent 'et quae'.

4) 'Balneas' Speng.

5) 'Non', quod deest in cod. F. neque habet Spengelius, a Popma recte in contextu positum esse videtur; quod idem putat O. Muellerus, et ipse Spengelius non male correxisse Popmam arbitratur.

6) 'venerunt' F. cf. Groth. p. 58.

dicat. Verba igitur 'cum causa' in hac sententia plurimum valent[1]) atque idem exprimunt quod Varro alibi rationis nomine significat. — His praemissis ad coniecturas venio, quibus corruptum hunc locum homines docti reformare studuerunt. Et Spengel. legendum proponit hoc: — 'quod . . . pleraque, quae cum causa multitudinis, multitudinis vocabulis sint appellata' in quo primum 'quod' particulam causalem esse apparet, ita ut sensum assequamur hunc: 'Dies ist nicht zu tadeln (dass Balneae plurale, Balneum singulare ist), weil die meisten pluralischen Begriffe pluralisch benannt sind'. Varro igitur, si locum recte intelligimus, a generali ad speciale descendit cum dicat: 'quod Scalae et Aquae Caldae pleraque, quae cum causa multitudinis (i. e. rationem multitudinis in se habent), vocabulis multitudinis sint appellata, ideo balnearum quoque notionem ita appellatam esse'.

At nondum explicavit noster 'causam multitudinis' neque in 'Balneae' neque in alio ullo vocabulo (ut Scalae, Aquae): itaque quod illi contra analogiam dicunt 'Balnearum vocabulum plurale, 'Balneum' esse singulare', non ita refutare potest ut '**pleraque**, quae cum causa multitudinis, multitudinis vocabulis esse appellata' respondeat. Immo et ratione ipsa requiritur et ex iis quae sequuntur[2]) manifestum est, Varronem responsum suum longe alia verborum conformatione protulisse, hac: 'Quibus responderi potest, non esse reprehendendum,

---

1) Perverse O. Mueller. haec verba sustulit, quod 'quid iis faceret non reperiebat'; nec minus falso Madvicus mutavit l. c. p. 177.

2) In his enim Varro accuratius explicat causam, cur illae plurales notiones vocabulis multitudinis appellatae sint: Balneae, Scalae, Aquae, Caldae. Exspectes igitur post vocabulum 'Primum' particulam quae est 'enim'.

quod Scalae et Aquae Caldae, pleraque[1] (sc. huiusmodi vocabula) cum causa multitudinis vocabulis sint appellata neque eorum singularia in usum venerint: idemque item contra'.

Sic enim Varro semper anomalistis obloquitur, i. e. analogiae defensor existit, ut in omnibus quibus illi hanc labefactare student, rationem vel causam inesse demonstret. — Sed offendat forsitan aliquis in eo, quod Varro ad adversariorum sententiam et quod protulerunt exemplum 'Balneae—Balneum' non accedat, sed aliis exemplis eorum opinionem refutet. Quam ob rem C. O. Muellerus transpositione verborum longe alium sententiarum ordinem restituit, quod recte fecisse videtur Madvico,[2] quod ego penitus reprobo. Nam Varro anomalistarum sententiam, ita ut par est et consilium eorum postulat, in universum dictam esse atque omnino ad pluralia et singularia pertinere existimat;[3] quam reprehensionem, ut supra dixi, ita refutat ut causam (i. e. rationem) in appellandis his notionibus valuisse dicat, ac primum quidem in pluralibus. Deinde cum dicat 'idemque item contra' singularia intelligit, de quibus omnia eadem quae de pluralibus dicta sint, responderi possint. Nam ad verba illa supplendum esse 'responderi potest' apparet; ipsa autem ita explicanda sunt, ut 'Contra'[4] ad Singularia Tantum respiciat; 'Idem' ea significet quae de pluralibus dicta sunt'; 'Item' haec de singularibus quoque valere indicet.

IX, § 26 p. 473 codices exhibent haec: 'cum sex

---

1) Sic ego; codd. 'pleraque quae'.

2) Adv. crit. l. c. p. 176 sq.

3) De omnibus huiusmodi verbis sermonem esse etiam Madvicus censet l. c. p. 177. Sed cum ea de causa vitiosum esse 'pleraque' arbitretur, ego Varronem caute potius et prudenter locutum esse exstimo.

4) Hoc verbum quid sibi velit in Muelleri de hoc loco sententia, nescio; ipse Madvicus in verbis 'idemque item contra' dubitationem relinqui fatetur.

horis aestus creverunt totidem decreverunt rursus idem itemque ab his.'

Quae verba Spengelius et Muellerus male interpunxerunt,[1]) solus Madvicus[2]) recta interpunctione scripsit sic: cum sex horis aestus creverunt, totidem decreverunt, rursus[3]) idem (fit ut crescant et decrescant).

Cetera quae sequuntur verba quomodo vir doctus intellexerit, nescio. Spengelius vero legendum putat: 'Item quae ab his, an . .' quae verba ego non comprehendo. C. O. Muellerus: '— rursus idem; itemque ab his'. Id est: inde ab his, post has XII horas.

Sed haec interpretatio vereor ne sit nimis obscura atque insoliti plus iusto habeat. Nam ut omittam dubitationem relinqui, particulane 'ab' ad tempus describendum sic a Varrone ponatur, ut non dicam, huic Muelleri opinioni melius convenire 'idemque' quam ,itemque': verba quae sunt 'ab his' qua via sensum assequantur quem Muellerus vult, ego non perspicio. Quid vero? Si Madvici interpunctionem opinionemque secuti scribimus: 'cum sex horis aestus creverunt, totidem decreverunt, rursus idem itemque ab his (sc. aestibus fit)', nonne omnia bene se habent?

VI, § 79 p. 225 pro eo quod proditum est: 'a quaerendo Quaestio, ab his Conquaestor' C. O. Muellerus

---

1) Uterque interpunxit sic: 'cum sex horis aestus creverunt, totidem decreverunt rursus idem' — in quo non recte perfectum pro praesenti ('decrescunt') positum esse patet; cf. Madvig. l. c. p. 175.

2) l. c. p. 175.

3) '**Rursus**' apud Varronem saepissime cum verbis movendi copulatur maximeque cum iis quae a '**re**' particula loquelari incipiunt: sic legitur 'rursus redire'. De l. l. VI, § 10 p. 192; IX, § 86 p. 521. De r. r. III, 17, 9. De gente pop. Rom. l. c. p. 64,4. 'r. revocare' de l. l. VI, § 46 p. 224. — 'r. reicere' de r. r. I, 13,5. — 'r. reddere' II, 2, 1. 'rursus decrescere' I, 37, 1. 'Rursum' legitur de l. l. V, § 40 p. 40. De r. r. I, 29, 2.

servatis ceteris scripsit 'ab hisque quaestor', quod num recte coniecerit in dubio est. Veteres quidem editores aliquot syllabam 'con' deleverunt.

Eiusdem Muelleri coniecturae haec particula debetur VI, § 45, p. 225; quem locum Spengelius e codice Flor. sic dedit: 'Meminisse a memoria quom id quod remansit in mente in id quod rursus movetur; quae a manando ut Maniomoria potest esse dicta'; tamen verba 'in id quod' ex praecedentibus nata suspicatus uncis inclusit.[1]) Aliter hunc locum Muellerus edidit scribens: '— quom quid remansit in mente indeque rursus movetur; quae a manendo ut manimoria potest esse dicta.'

Belle quidem coniectum et si sensum et si dicendi genus spectamus; ego nihil habeo quod contra dicam, nec tamen statim ad hanc opinionem accedo. Hoc unum Muellerus utique recte fecisse mihi videtur, quod verbum 'inde' in contextu reposuit; ceterum alias medendi rationes non minus lenes adhibere licet, veluti hanc quam ego propono: '— quom id, quod remansit in mente, inde rursus movetur.'[2])

V, § 143, p. 145 in codice Flor. legimus: '(orbis) qui quod erat post murum, Postmoerium dictum eiusque auspicia urbana finiuntur' qua in lectione verbum 'eiusque' maximae est offensioni. Itaque vulgata lectio quam sequitur Spengelius, post verbum 'eiusque' vocem 'ambitu' collocat; Muellerus e Turnebi coniectura scribit 'eius, quo': quod ita intelligendum est, ut 'eius' urbem significet, quae praecedenti sententia commemoratur. Ego in 'eiusque' verbo pronomen relativum delitescere ratus

1) Hoc probat Wilmannsius l. c. p. 43.

2) Sive enim verba quae sunt 'id quod' tamquam male repetita ex praecedentibus deles, 'in' vero particulae loco restituis 'inde', sive 'quod' solum iteratum existimas et verba 'in id' commutas in 'inde', utique lenissimo te usum esse remedio nemo negabit.

lectionem propono hanc: 'qui — Postmoerium dictum quoque auspicia urbana finiuntur.'

Scito enim in codice Florentino saepe litteram q ita scriptam esse, ut fieret syllaba cj vel sj vel ej vel alia aliqua.[1])

Non praeteribo quid alii de hoc loco iudicaverint. Atque Henricus Iordanus[2]) pro 'eiusque' legendum proponit 'eoque', sensu aptissimo, tamen ut conexus verborum durus sit et oratio tamquam aspera via decurrat. Theodorus vero Mommsenius[3]) scribendum esse coniecit 'eousque'; quae mihi lectio, ut conexus duritiem omittam, et contra Varronianum genus dicendi[4]) et in usum verbi 'finiendi' peccare videtur. ego quidem exemplum quo locutio quae est 'finiri usque eo' comprobetur nullum inveni.

Pronomini relativo praeterea particulam adhaerentem inveni locis his: V, § 57, p. 62; IX, § 59, p. 499 (ubi quod omnes veteres libri habent 'quoque' iam ab antiquissimis editoribus recte in 'quodque' mutatum est).

Vocabulo quod est 'ceteri' affixa est particula VIII, § 30, p. 413 (in supellectile, cibo, ceterisque omnibus .. inaequalitas); cfr. X, § 64, p. 580 (in aedificiis et signis faciendis ceterisque rebus).

Cum voce 'alii' coniuncta extat, si editiones sequimur, VIII, § 32, p. 415: 'neque potius delectaremur

---

1) Cfr. V, § 33, p. 35 'quo sive' falso pro 'quoque'. Scalig. — VII, § 79, p. 358 'sive' falso pro 'quod' (ego coni). X, § 72, p. 585 'que' falso pro 'eius' (ex mea coniectura). V, § 99, p. 102 'lucusjn' falso pro 'lucuque'; § 66, p. 73 'ujab' falso pro 'quae'. X, § 68, p. 582 'etenjm' falso pro 'itaque'. —

2) Topogr. rom. I, p. 167.

3) Iur. Roman. vol. I, p. 62. n. 5. (ed. II.)

4) Nunquam a nostro 'usque' altero loco positum est.

supellectile, distincta quae esset ex ebore, aliisque rebus disparibus figuris, quam grabatis'.

Sed 'aliisque' in optimis manuscriptis qui sunt F et H, deest; in Florentino autem inter verba 'ebore' et 'rebus' spatium quattuor litterarum intermissum esse Grothius docet l. c. p. 49.

In certis locutionibus locum habet particula his: V, § 87, p. 90 (opera consilioque); VIII, § 23, p. 408 (Graeci Latinique); V, § 99, p. 102 in. (noctu lucuque)[1]). V, § 153, p. 153 e vulgata lectione scripserunt Spengelius et Muellerus 'pinnis turribusque', ubi omnium manuscriptorum plurimarumque veterum editionum lectio est: 'quod a muris partem[2]) pinnis turribus qui carceres olim fuerunt'.

Et verisimile est pro 'qui' in codicibus fuisse 'que', tamen de toto hoc loco sententia mihi stat non certa. Hoc vero miror, quod nec Muellerus nec Spengelius in ablativo insolentissime posito offendit.

Unus hic locus alienus est a ratione eorum quos hucusque commemoravimus, IX, § 33, p. 479 in. ('si quis viderit mutilum bovem aut luscum hominem claudicantemque equum'). Qui autem alter huiusdem modi locus est V, § 74, p. 79. eum cum Hauptio[3]) puto vix esse dubitandum quin Varro ex Ennii annalibus sumserit.

Reliqua huius generis exempla quae vel e coniectura vel e lectione librorum hanc particulam praebent, omnia emendari oportet. Itaque V, § 170, p. 171, ubi

---

1) Sic e coni. Muelleri quam ego optime factam esse iudico. Tradita sunt haec: 'noctulucus in custodia', quae ego orta esse puto e genuina lectione sic scripta: 'lucusjnjn'; — De forma 'lucu' vide Haasium in Reisigii scholis § 133 n. 243.

2) Mueller, 'ad muri speciem'.

3) Opusc. III, p. 355 sq.

proditum est 'alievae quae res', quod Spengelius legendum coniecit 'alienaquae res' peccasse mihi videtur. Scribendum esse 'aliaeve quae res' vidit O Muellerus.[1]) Sic enim Varro particula 've' saepissime usus est, id quod infra accuratius exponam. — X, § 72, p. 585 codices habent: 'in qua harum partecumque sit inferendo et quoiusmodi, videndum'; quae praeter Muellerum interpretes omnes silentio transmiserunt. Ille unus 'Haec' inquit 'corrupta habeo; nam etiam 'quacunque' huius loci non est. Scioppii coniectura 'sit inserenda' nil proficimus'.

Coniecturam de sanando hoc loco vir doctus non fecit. Ego vero cum praecedentia[2]) considero, primum 'parte cum' mutare non dubito in 'partium'; deinde pro vocula 'que' legendum propono: 'eius' (sc. similitudinis) Denique verba quae sunt 'in ferendo', praesertim si eam quae praecedit dictionem 'analogiae fundamentum' specto, mutari velim in 'imponenda'.[3])

Libri de r. r. quos multo saepius hanc particulam exhibere supra diximus usum eius multo liberiorem ostendunt, item deperditorum librorum reliquiae.[4]) Tamen in illis quidem de r. r. libris permulta exempla prono-

1) Assentitur Hultsch. Metrol. script. rel. II, p. 49.

2) 'Omnis analogiae fundamentum similitudo quaedam, ut dixi, quae solet esse in rebus, in vocibus et in utroque.'

3) Quamquam hoc verbum, ut proprium eius usum omittam, a Varrone non scribitur nisi in locutione quae est 'vocabulnm imponere rebus'. — Conferri licet propter eandem verbi constructionem locum qui est IX, § 79 p. 514 extr. ('imponere in Alexandri statua caput Philippi'), ubi ne commutemus 'in statuam' recte monet C. F. W. Muellerus l c p 424 n. 1; cfr. IX, § 40 p 484 extr. Reisig-Haase § 409 n. 573.

4) cfr. sat. Men. p. 184, 252 finemque modumque; Logistor. frg. l. c. p. 256 susque deque, quem usum reliqua Varronis scripta non ostendunt.

mini demonstrativo quod est 'is'[1]) (raro relativo) aliisque verbis quae eadem sunt origine, particulam adhaerentem praebent, in ragmentis sane pauca. Saepissime in iisdem illis libris 'que' positum est in locutionibus certisque verborum formulis, nec non in synonymis inter se conexis verbisve cognatis; quem potissimum usum ceterorum librorum reliquiae comprobant.

Pauca relinquuntur exempla aliena a ratione eorum quae adhuc diximus. Atque his quidem locis particula verba aut enuntiata ita conectit, ut in eadem serie aliae praeterea particulae copulativae ut sunt 'et', 'ac' inveniantur: I, 4, 5 (1 + et + que + que); II, 1, 2 (1 + que + et); 4, 20 (1 + que + ac); cfr. 8, 3. 10, 6 (1 + ac + que). III, 5, 4 (1 + que + et);[2]) 9, 13 (1 + et + que + et); 16, 31 (1 + atque + que).[3])

Sed de hac particula satis diximus; nunc de ea quae est

Denique

verba faciamus. Quae et in libris de l. l. et in libris de r. r. scriptis saepissime coniuncta est cum vocabulo 'tum'; nunquam in Varronianis scriptis neque in his neque in ceterorum librorum reliquiis invenitur formula quae est 'tum demum', siquidem 'demum' apud Varronem omnino non legitur.[4]) Formulam autem 'tum denique' in libris de l. l. loci prae se ferunt hi: VI, § 81 p. 257

---

1) Cum eo quod est 'Hic' coniuncta est particula III, 16, 9; in libris de l. l. e. Muelleri coniectura VI, § 79 p. 225.

2) Sic Schneiderus; Gesnerus pro 'que' habet 'quod'.

3) E libris de l. l. huc referre possis unum locum X, § 64 p. 580.

4) Qui locus hanc particulam praebet De r. r. I, 40, 4, Scaligeri ingeniosa emendatione genuinam lectionem accepit: cfr. Keil. p. 42. Hoc autem loco quem e libro de serm. lat. V. Gellius laudat (ap. Wilm. p. 207, 84), 'demum' particula Gallii ipsius est.

(cum quid creatum est, tunc denique videtur); VIII, § 26 p. 410 (Tum denique . . . ., si); cfr. § 39 p. 420. § 42 p. 422 (cum transierit —, tum denique). IX, § 57 p. 498 codices lectionem habent hanc: 'Natura cum tria genera transit et id est in usu discrimina totum denique apparet ut est in Doctus et Docta et Doctum'; quae non recte se habere C. O. Muellero assentior. Sed de ea lectione quam edidit, C. T. W. Muellerum loquentem facio; qui in hunc modum disputat:[1]) C. O. Mueller nach Aldus 'discriminare: totum', wobei also angenommen wird, dass die Endsilbe 're' ausgefallen sei. Dies scheint mir unrichtig und vielmehr re in to verdorben und die richtige Schreibart folgende zu sein: '— discriminare, tum denique . .' Der Sinn ist: Wenn ein Wort seiner Natur und dem Sprachgebrauch nach für die drei genera empfänglich ist, erst dann nimmt es dieselben an, sonst nicht.'

Ego vero ne hanc quidem coniecturam amplector, sed legendum censeo: 'Natura cum tria genera transit et id est in usu discriminatum,[2]) tum denique apparet, ut est . .'

Sed cetera huius formulae exempla enumerare pergo; quae sunt in libris de l. l. haec: X, § 12, p. 551 (cum erit —, tum denique); § 36, p. 565 (cum . . est, tum denique). Sine 'tum' particula 'denique' adhibita est X, § 68, p. 582, ita tamen ut ad formulae illius condicionalis rationem referenda sit. ('Haec denique perfecta analogia.')

Enumerando inservit 'denique' bis, nec tamen unius enuntiati membra inter se conectit, sed enuntiata ipsa. Loci autem sunt hi: VIII, § 37, p. 419 'Denique si est

1) l. c. p. 793.

2) Discriminandi verbum occurrit de l. l. VIII, § 51, p. 429; IX, § 57, p. 498; § 104, p. 533; X, § 84, p. 591. De r. r. I, 23, 4.

analogia, sequitur ut . . .'; quod enuntiatum paenultimum in sententiarum conexu locum obtinet; ultimum huius seriei membrum 'postremo' voce in orationem inducitur. — Alter ille locus est IX, § 47, p. 490 'Quis —? Quis —? Quis denique cetera —?'

Restat ut de loco disseram, qui e falsa codicum lectione hanc particulam ostendit, IX, § 67, p. 505: 'Quare in utraque denique re scindere conantur analogiam', ubi non recte se habere 'denique' consentaneum est. Et C. F. W. Muellerus[1]) sic iudicat: Nicht re scindere, sondern rescindere zusammen zu schreiben, wird man wohl von vornherein sich versucht fühlen. Es ist zu lesen: 'Quare in utraque re inique rescindere . . .' cfr. § 62, p. 501 ('Quocirca in tribus generibus nominum inique tollunt analogias').[2])

Quoniam qui usus sit huius particulae in libris de l. l. diximus, nunc quem libri de r. r. scripti ostendant videamus. Itaque formula quae est 'tum denique' cernitur his locis: I, 64, 2; II, 2, 18; 5, 12; III, 9, 10; 9, 13; 9, 20 (tunc d.); 1, 2 (nunc d.). Deinde, ad rationem huius formulae referri debent exempla haec: I, 8, 6; 37, 4; II, 1, 5.

Enumerandi denique munere fungitur II, 1, 9; 5, 5. — III, 2, 6; 14, 3.[3])

Particulam **Ve** notamus saepissime voci quae est 'alius' adhaerere, ita ut dicatur 'aliudve quid' et similia.

---

1) l. c. p. 794.

2) Madvicus l c. p. 176 'Ineptum' inquit 'denique', ineptum 'scindere'. Fuit 'Quare in utroque inique rescindere'. Cfr. § 62, p. 501 Ibi quoque 'inique' depravatum in codicibus est, ut esset 'in quae'.

3) In fragmentis est sat. Men. p. 181, 219 'tum denique —, cum'; de vita pop. rom. p. 31, 11 'Cum —, tum denique'. — Cetera particulae exempla sunt in sat. Men. p. 168 80; p. 172, 126; p. 190, 325 (?); p. 204, 475. Rer. div. p. 107, 5.

Exempla inveni haec: De l. l. V, § 95, p. 97 (aliudve quid); cfr. § 139, p. 141. § 140, p. 142; § 167, p. 167, VII, § 97. p. 374. De r. r. I, 16, 2; 44, 4; II, 5, 14; III, 7, 3.[1]) De l. l. V, § 170, p. 171 (aliaeve quae res). De r. r. II, 9, 15 (aliusve quis); I, 31, 5 (aliumve quem); II, 2, 14 (aliave qua re) cfr. II, 6, 4; 7, 6. III, 10, 4; 16, 23 (aliamve quam rem). — III, 5, 3 (aliave quae bestia); cfr. 11, 3; 12, 3.

Duobis his locis, de l. l. VII, § 14, p. 300; de r. r. III, 10, 4, si codices sequimur, pronomen indefinitum omissum est. Ille enim traditus est sic: 'Signa dicuntur eadem et sidera. Signa quod aliquid significent, ut libra aequinoctium. Sidera quae si insidunt atque ita significant aliquid in terris perurendo aliudve quare ut signum candens in pecore.'

Ac primum quidem pro 'quae si' scribendum censeo 'quasi';[2]) deinde Muellero assentior scribenti 'item'.

---

1) sat. Men. p. 194, 374.

2) Spengelius Muellerusque vulgatam secuti 'si' particulam omiserunt. Spengelius vero 'Fortasse' inquit 'quae si insidunt, Sidera', nisi post 'atque ita' aliquid excidit, vel coniunctiones illae delendae'. — Quam ego conieci particulam 'quasi', ea in libris de l. l. legitur V, § 129, p. 132 (ornatus quasi ab ore natus); § 135, p. 137 ('Qui quasi temo est inter boves, Bura a bubus'; sic enim cum Muellero interpungo locumque ita interpretor, ut bura, temonis ultima pars et ex eodem ligno dolata', paene temo esse dicatur). — Inest igitur particulae duobus his locis ea vis, ut paulo gravius vel audacius aliquod verbum notione propria exuat idque deleniat; quam eandem vim tertius ille locus, quem ego coniectura adieci ostendit. Est autem in his libris, si Spengelii editionem sequimur, quartum particulae exemplum V, § 94, p. 96 'vestigiator a vestigiis ferarum quasi indagator', quam ille lectionem esse codicis Florentini existimat. Sed Grothius l. c. p. 28 n. 138 ex eo verba edidit 'quas indagatur', eadem quae codex habet Havniensis. Unde Muellerus ea in contextu posuit. Grothius rectene haec lectio se habeat dubitare videtur. Ego vero nihil de ea dubito, cum praesertim

pro 'ita'; tum servanda esse puto quae in codice sunt 'signum candens in pecore', non, quod Spengelius voluit, e vulgata lectione scribendum esse 'In Hectore' et cum sequentibus coniungendum. Haec enim quae sequuntur, non fabulae esse cuiusdam de Hectore scriptae, sed ducta ex Attiana illa de Eurysace facta, Nonius s. v. 'anfractum' memorat.[1]) Iam vero Muellerus quod arbitratur verba quae sunt 'signum candens in pecore' sumta esse e poeta, qui caniculae vim in pecore ostendisset, dubitatio relinquitur. Etenim primum h. l. offendo in eo quod 'aliudve' non adiecto pronomine indefinito positum est; deinde nec 'quare' solum nec 'quare ut' a Varrone unquam in locis laudandis admissum vidi. Et facile illud quod requirimus 'quid', cum simillima vox 'quare' sequatur, a librario omitti potuit, ut nostro iure scribamus liceat 'aliquid in terris . . aliudve quid'; item fieri potest, ut in ipso vocabulo 'quare' pronomen delitescat; tamen certam de hoc loco sententiam non sum assecutus. Hoc unum credo, pronomen indefinitum voci 'aliudve' utique adiciendum esse. Nam qui alter est huiusmodi locus, i. e. pronomine indefinito caret, de r. r. III, 10, 4 ('neve . . eo accedere possint mustelae aliaeve bestiae quae noceant'), is cum illo comparari non debet et quia substantivum appositum est et sententia determinativa haec verba sequitur. Quodsi veteres quidam editores scribunt 'aliaeve quae bestiae' haud scio an recordati locorum qui sunt III, 5, 3; 11, 3; 12, 3

---

verba 'quasi indagator' ad nomen vestigiatoris nihil pertineant. — Libri de r. r. hanc particulam praebent his locis: I, 2, 28 (quasi vero); cfr. III, 7, 11. — I, 48, 3; 49, 2. III, 5, 11: qui tres loci naturam particulae ostendunt eandem, quam in libris de l. l. observavimus. cfr. De serm. lat. p. 195, 62; frgm. 112 ap. Wilm. p. 223). Logistor. frg. p. 257, 1. p. 248, 9. Sat. Men. p. 173, 128.

1) cfr. Ribbeck. Trag. Rom. frg. (ed. II.) p. 179.

quibus in locis legitur 'aliave quae bestia', hoc quidem fundamento niti non licet, cum praesertim enuntiatum quod dixi determinativum haec tria exempla deficiat.[1])

Sed de particulae 'Ve' exemplis huiusmodi satis diximus; nunc quae restant enumeremus. Itaque ut ea omittamus, quae quidem editiones praebent, nunc vero certissimis coniecturis deleta sunt, ut de l. l. V, § 74, p. 79[2]); IX, § 43, p. 487[3]), in libris de l. l. praeterea quattuor exempla extant haec: V, § 87, p. 90 (Legati — quorum opera . . uteretur peregre magistratus quive nuntii senatus aut populi essent); § 91, p. 94 (lituo cornuve[4]) canunt); § 177, p. 177 (Pretium quod emptionis aestimationisve causa constituitur); VIII, § 43, p. 423, (quo magis minusve sit simile)[5]).

---

1) De particula aut ut adiungamus, eam in formula 'aut quis alius' positam inveni his locis: de l. l. V, § 183, p 182 in. De r. r. I, 9, 1; 10, 2; II, 2, 16; 4, 15; 6, 5; III, 9, 15; 13, 1. Formula 'aut quid item' usus est noster de l. l. IX, § 66, p. 504. De r. r. II, 5, 16; 9, 12 ('aut quid item aliud': 'item' particulam a Victorio repositam Schneiderus delet). Nunquam apud Varronem sic legitur particula 'vel', ut dicatur 'vel quis alius'. Nam qui unus eiusmodi locus occurrit de r. r. III, 16, 31 'Non longe inde [ramum vel quid aliud] oblinunt erithace', ibi quae uncis inclusi verba sola Nicolai Iensoni editione (quam fecit Georgius Merula a. 1472) tradita sunt atque hoc ipso 'vel' particulae usu interpolata se esse demonstrant. Quae Gesnerus recto iudicio e contextu verborum sustulit; Schneiderus hic, ut saepe, ad interpolatam scripturam delapsus est.

2) Cfr. Mueller in editione et in Festo p. XLIV. Haupt Op. III, 353 sq. Groth p. 26, n. 111.

3) V. Muellerum in Festo l. c. Spengel. de emend. rat. p. 14. Groth. p. 56 n. 347.

4) Sic Muellerus e coniectura, quam probat Grothius p. 28, n. 136.

5) Cfr. sat. Men. p. 210, 543 (unus pluresve); p. 187, 287 (bis terve); p. 187, 293 (sparo . . fragulave). Cfr. Logistor. frg. p. 251, 27.

E libris de r. r. conquisivi omnia exempla, haec: I, 17. 6; 13, 2 — II, 2, 1; 10, 4 — III, 3, 1; 10, 6. Politiano dissentiente hanc particulam editiones habent his locis: I, 4, 4; 18, 4.

Haec de 've' particula habeo quae dicam; nunc ad eam quae est

Sive

transeamus. Quae quamvis in programmate quod scripsit vir doctissimus C. F. W. Mueller[1]) vel in Varronis libris quomodo se habeat optime explanatum sit, tamen eosdem hos libros iterum accuratiusque perlustrabo. Itaque ut omittamus exempla quae aliunde noster petivit, ut sunt VI. § 86 p. 263 (Si quis pro se sive pro altero rationem dari volet[2]); VII, § 93, p. 370 (quam rem sive mi litem dicere oportet[3]); IX, § 81, p. 516 (Decussi sive decussibus est[4]), primum ea tractabimus quae codicum e lectione particulam habent; deinde coniecturas quas Odofredus potissimum Muellerus fecit in iudicium vocabimus. Atque illa quidem exempla in libris de l. l. sunt haec:

V, § 59, p. 64 'Humidum et frigidum terra sive
'Ova parire solet genus pinnis condecoratum
Non animam'

ut ait Ennius

'et post inde venit divinitus pullis
Ipsa anima'

sive, ut Zenon Citieus, animalium semen ignis is qui anima ac mens'.

---

1) Progr. gymnas. Joachim. Berolinensis a. 1871.

2) Sic Scioppius, O. Mueller, C. F. W. Mueller p. 4. Codices pro verbis 'sive pro' habent 'si verbo', in quibus Spengel. nonnisi 'sive' latere suspicatur.

3) Cfr. C. F. W. Mueller. p. 16.

4) Verba sunt Lucili (cfr. L. Mueller. in edit. p. 50), in codice quidem Florentino sic tradita: 'Decuis sive decusibus.'

Quem locum permulti coniciendo vexaverunt. Ac primum quidem verba quae sunt 'Terra sive', praeter Florentinum codicem et Havniensem ceteri omnes codices editoresque plurimi omiserunt; Spengelius mutanda esse coniecit in 'Terra sine vi'. C. O. Muellerus 'lacunam in nullo codice significatam statuens' coniciendo supplevit sic: 'Humidum et frigidum terra [eaque corpus, caldor caeli et inde anima], sive . . .' Ego has coniecturas reprobo adque codicum lectionem revertor. Nam rigescit illa quidem particula, quippe quae non ad totum Ennii locum sed ad ea potissimum verba pertineat quae sunt 'venit divinitus pullis Ipsa anima'. Attamen ego non in particula offendo, sed in laudandi ratione, quod et necessaria et inutilia hic a Varrone afferuntur.

§ 33 p. 35 in codicibus sic: 'Quocirca Gabinus quo sive peregrinus' quae verba Scaligerus pulcherrima coniectura restituit sic: 'Quocirca Gabinus quoque peregrinus'. Spengelius mirum sane deesse quaedam suspicatur, nisi forte 'Gabinus sive quo'. C. O. Muellerus unus ex editoribus Scaligeri lucem secutus est.

§ 157 p. 157 codices exhibent haec: 'Argiletum sunt qui scripserunt ab Argola[1]) seu quod is huc venerit ibique sit sepultus; alii ab argilla, quod ibi id genus terrae.'

Sic Spengelius; at C. O. Muellerus[2]) in contextu habet: 'ab Argola seu Agrola, quod' — quam lectionem nos cum C. F. W. Muellero repudiamus: numquam enim apud nostrum 'sive' idem valet quod 'vel'. Sed quod ipse hic Muellerus credit alteram excidisse sententiam, quae ab iisdem particulis 'seu quod' inciperet, mihi non probabile videtur. Primum enim forma quae est 'seu'

1) cod. H. 'Arglo'.

2) Vestigia pressit Scaligeri scribentis 'Argula seu Argo'.

pro 'sive'. (ut 'neu' pro 'neve') apud Varronem non legitur; deinde hoc gravissimo Muelleri remedio minime opus est. Quid enim? Nonne leniore hac correctione 'Argiletum sunt qui scripserunt ab Argi leto, quod . . .' quae praeterea Vergilii versibus qui sunt Aen. VIII, 345 sq.[1]) optime commendatur, pulcherrimam lectionem traditaeque admodum similem sum assecutus?

VII, § 44 p. 330 lectio est codicum haec:

'Id Tutulus appellatus ab eo quod . . crines . . dicebantur tutuli : sive ab eo quod id tuendi causa capilli fiebat sive ab eo quod . . .'

de qua lectione nemo unquam dubitavit. Nec minus certa est loci qui est X, § 58 p. 578 lectio haec: 'adsumere . . figuras eas quae non erunt ambiguae sive singulares sive multitudinis'.

At ille qui est VII, § 79 p. 358 'a conticiscendo[2]) Conticinium sive ut Opilius scribit, ab eo quom conticuerunt homines' maximae est offensioni. Primus autem in eo offendit C. F. W. Muellerus cum dicat:[3]) Dies ist die einzige Stelle, wo sive = oder überliefert ist. Hierin muss 1) entweder Conticiscendo falsch sein; denn es wäre lächerlich neben der einen Etymologie Conticinium von Conticiscere noch als zweite anzuführen: oder . . davon, dass dann die Menschen verstummt sind. 2) Ist Sive richtig, so verbindet es auch hier nicht zwei verschiedene Ausdrücke für dieselbe Sache. Vermutlich ist es aber nicht richtig, wenigstens gebraucht Varro in dem häufigen Falle, dass er mehrere Etymologieen zusammen stellt, nie ein einfaches sive, sondern u. a. nisi, mit dem sive leicht verwechselt werden konnte.

---

1) 'nec non et sacri monstrat nemus Argileti
Testaturque locum et letum docet hospitis Argi'.

2) cod. F. 'contiscendo'.

3) In progr. l. c. p. 23.

Et recte vir doctus 'sive' tollendum esse iudicat; hoc vero neglexit,[1]) non traditum esse 'ab eo quod', sed 'ab eo quom', quae verba recte se habere perfecto 'conticuerunt' luculente significatur.[2]) Non igitur duo Conticinii vocis veriloquia componuntur, quare non fieri potest ut 'nisi' pro 'sive' scribatur. Ego vero de hoc loco ita iudico, ut primum illius vocis originem indicari, tum tempus Conticinii Opilii verbis describi arbitrer. Itaque ego Varronem scripsisse puto haec: 'a conticiscendo Conticinium, quod (sc. tempus), ut Opilius scribit, 'ab eo quom conticuerunt homines'. Sed utcunque haec coniectura se habet, certe 'sive' particulam nullo modo hic obtinere posse mihi persuasi.

Quare in libris de l. l. 'sive' nullo loco ita positum est, ut significet 'vel'; qui autem loci e Muelleri coniectura particulam sic adhibitam praebent, omnes non bona medicina sanatos esse nunc demonstrabo. Et qui locus est V, § 73 p. 78 'Honos ab honesto onere', eum O. Muellerus sic mutavit: 'Honos ab honere sive onere'. Sed nulla opus est mutatione[3]). Nam ad originem quidem Honoris vocabuli explicandam sufficiunt verba 'Honos ab onere'; sed non originem modo, sed etiam significationem vocabuli noster patefacere vult, ita ut quasi duo enuntiata in unum coaluisse putanda sint, haec: 'Honos ab onere' — 'Honos est honestum onus'. V, § 145 p. 146 quod in codicibus est 'Angiportum, si id (i. e. pervium) angustum : ab agendo et portu' O. Muellerus non intellexit; scribit enim 'Angiportum sive quod id angustum, sive ab agendo et portu'. Atqui

---

1) Hoc idem accidit Christio in philol. vol. XVII, p. 60. de hoc loco disputanti.

2) Cfr. Spengel. in eiusdem philol. vol. XVII, p. 303.

3) Ne C. F. W. Muellerus quidem de tradita lectione dubitat.

nihil in tradita lectione desideratur, ut sane magnam Muelleri libidinem miremur.

VIII, § 21 p. 406 in Florentino codice legimus haec: 'Sic tres cum emerunt Ephesi singulos servos, nonnumquam alius declinat nomen ab eo qui vendit,[1]) Artemidorus, atque Artemidorum appellat'. Codex Havniensis exhibet 'atque Artemam appellat', unde C. O. Muellerus colligit scribendum esse: 'atque Artemidorum sive Artemam appellat'. Quam coniecturam satis habeo commemorasse, refutare non opus est.

Sed de his libris satis diximus; in quibus, ut summam faciamus, tria extant certa particulae exempla X, § 58 p. 578; VII, § 44 p. 330; V, § 59 p. 64), quae omnia formulam praebent 'sive — sive'.

Quam eandem formulam in libris de r. r. invenimus II, 1, 3; at qui est locus II, 1, 22 qui vulgo sic legitur: 'qui sive ex aestu sive e labore febrem habent' eum utique ad Politiani lectionem revocandum esse censeo 'qui labore febrem habent'.[2])

Reliqua huius particulae exempla sunt haec: II, 11, 5; III, 7, 5: utrumque vehementer ambiguum atque addubitatum. Ille enim locus traditus est sic: 'Mammae enim rumis sive ruminare ut antiqui dicebant, a rumi'; vulgo legitur sic: 'mammae enim rumis sive rumae, ut antiqui dicebant, a rumi'. Ac primum offendo in particula 'sive' h. l. ita posita, ut valeat 'vel';[3]) deinde locus qui est II, 1, 20 ('antiquo . . vocabulo mamma rumis, **ut opinor**'), Varronem vetat illo loco non dubium esse de rumis vocabuli apud antiquos significatione. Tum vero nonne ineptum ac prorsus ridiculum est dicere: 'rumis a rumi'? Itaque corruptum esse locum vel potius

1) 'Vendidit' proponit C. F. W. Mueller. in progr. p. 23.
2) Hoc idem vult Zahlfeldt. l. c. p. 20.
3) Cfr. C. F. W. Mueller. l. c. p. 22.

corruptissimum consentaneum est; id quod iam multis veteribus horum librorum interpretibus constabat. Sed quas fecerunt coniecturas Scaligerus,[1] Ursinus,[2] Schneiderus,[3] alii,[4] omnes silentio praetermitto, quoniam nulla earum offensiones illae quas dixi sublatae sunt. Quas ea, quam ipse inveni lectionem, tollit: 'Mammas enim rumis, si verum opinor, antiqui dicebant; a rumi deinde (codd. 'et inde') dicuntur Subrumi agni lactentes.'[5]

Restat ut de altero illo loco disseram qui est III, 7, 5; ubi pastorem columbarium quae facere oporteat Merula exponit. Et hoc quidem loco praecepta illi dantur haec: 'Itaque pastorem columbarium quotquot mensibus crebro oportet everrere. — Sive quae columba quid offenderit, ut medeatur. Si qua perierit, ut efferatur. Si qui pulli idonei sunt ad vendendum, promat'. Sive particulam si quis tenere velit, non aliter intelligere possit quam positum pro 'aut si'. At in huiusmodi enumerationibus numquam 'Ve' a Varrone positum est nec quid sibi hic velit video[6]. Quare quod huius particulae tria exempla

1) 'Mamma enim rumis, sive rumin; ea re, ut ante, dicebant, a rumi'.

2) 'Mamma enim rumis sive rumina, ut ante dicebant: a rumi inde dicuntur subrumi agni lactentes'.

3) 'Mammas enim rumis sive rumina ante dicebant: et inde dicuntur subrumi . . .' Sic Schneiderus hoc loco Pliniano nisus 15, 18 'Lupa infantibus praebens rumen; ita vocabant mammam' (cfr. Pompon. com. v. 152 ap. Ribbeck. Scen. poes. rel. vol. II.)

4) C. F. W. Muellerus sic: 'Mammae enim rumis [sive rumae], ut ante dicebam, a rumi', quam coniecturam vel propter imperfectum tempus dicebam' repudio. Sed etiam 'ante', quam vocem idem significare vult quod 'supra' (i. e. II, 1, 20), nunquam apud nostrum sic legitur.

5) Verba 'a lacte' subditicia esse cum Scaligero credo. — De hoc loco cfr. Logistor. frg. l. c. p. 248, 7.

6) Fortasse scribendum est 'si' pro 'sive': quae correctio eo

(II, 1, 22; 11, 5 — III, 7, 5) his libris expellenda esse videntur, ea uno hoc loco legitur II, 1, 3 eaque in formula quae est 'sive — sive'. Plane igitur idem est huius particulae usus in libris de r. r. quem in libris de l. l. observavimus.[1])

Particulae quae est **Itaque** non totum Varronis usum exponam, sed ea tantum exempla examinabo quae altero eam loco positam habent: quae omnia, ut statim meam de iis sententiam proferam, mendosa esse existimo. Sunt autem haec: IX, § 41, p. 485 qui locus vulgo sic legitur: 'Sic dici virum Perpennam ut Alphenam[2]) muliebri forma, et contra parietem ut abietem esse forma similem, cum alterum vocabulum dicatur virile, alterum muliebre, et utrumque natura neutrum. Sic itaque ea virilia dicimus, non quae virum significant, sed quibus proponimus Hic et Hi, et sic muliebria, in quibus dicere possimus Haec aut Hae'.

Offensioni h. l. est 'itaque', altero loco positum; deinde in praecedentibus verbis quae sunt 'cum alterum vocabulum dicatur virile, alterum muliebre, et utrumque natura neutrum' quod opponamus verbo 'dicatur', substantivum verbum desideramus. Quod lenissima mutatione reponitur sic: 'cum alterum vocabulum dicatur virile, alterum muliebre, et utrumque natura neutrum sit. Itaque . . .'.

IX, § 47, p. 489 editiones multae sic scribunt: 'Ad quae dico non dissimilitudines quoque sequi; saepe

---

potissimum commendatur quod sequentia quoque enuntiata a particula 'si' ordiuntur.

1) Quod vulgo inscribitur 'M. Terenti Varronis imaginum sive hebdomadum libri' id non recte inscribi existimo. — In geminis logistoricorum inscriptionibus haec particula numquam tradita est.

2) Sic Muellerus: 'Aut plenam' codd. ,Aut P. Laenam' Spengel. (Sed. cfr. VIII, § 41.)

itaque ex eadem supellectili licet videre.' Hunc locum a Muellero correctum supra descripsimus; sic enim legendum esse apparet: '— sequi saepe; idque . . . licet videre'.

VI, § 58, p. 235 in codicibus legimus:

> 'Nuntius enim est a quis rebus nominatus, quod a Graeco verbo postest declinatum; ab eo itaque Neapolis illorum Novapolis ab antiquis nostris vocitata'.

Spengelius verba quae sunt 'a quis rebus', ex editione principe sic commutat. 'N. enim est ab iis rebus nominatus . . .' atque intelligit 'ab novis rebus', quae ipsa verba Turnebus in contextu ponenda esse coniecit. Quem C. O. Muellerus recte secutus est; etenim Spengelii illud perdurum ac nimis obscurum est, ut omittam correctionem non leniorem esse quam Turnebi. — Quae sequuntur verba Spengelius non mutavit; Muellerus vero e vulgata lectione adiecit quod vehementer requiritur verbum νεος, quod verbum ut omnibus notum Spengelius[1]) putat facile Varronem supprimere potuisse neque necessario addendum esse, cum nulla in codicibus extet lacuna. Sed iterum Muelleri vestigia secutus hoc verbum utique contextui inserendum esse puto; nec tamen ex vulgata lectione sumi oportet, sed pro iis potius quae optime tradita sunt 'ab eo', graecum illud verbum reponi. Itaque ut locum iterum exaremus, legendum esse putamus sic: 'Nuntius enim est ab novis rebus nominatus, quod (sc. verbum, i. e 'novus') a verbo Graeco potest declinatum νεος; itaque Neapolis illorum Novapolis ab antiquis nostris vocitata'.

De **Quia** particulae usu Varroniano Leonardus Spengelius breviter sic disseruit[2]): 'in originibus indi-

1) cfr. praef. ed. Varron. p. LVIII.

2) cfr. Emend. Varr. spec. p. 5.

candis non utitur voce 'Quia', sed semper 'quod' dicit; hinc falsum est quod pag. 229 invitis libris scripsimus 'hinc Effata dicuntur quia augures' et pag. 92 'Praesidium est dictum, quia extra castra praesidebant'. Leviter haec attigisse viro doctissimo satis fuit; nos vero quoniam in studio particularum operam collocare proposuimus, de 'quia' vocabulo plura verba faciamus oportet. Atque ut statim summam huius quaestionis indicemus, in libris de l. l. particula semel legitur, libri de r. r. eam duobus locis ostendunt. Cetera huius particulae exempla corruptelis laborant, e quibus haec optima medicina sanata sunt, illa manum vere emendatricem expectant. Itaque ut a libris de l. l. ordiamur,

> V, § 44, p. 50 codicum scriptura est haec: Huic vecturae qui ratibus transibant, quadrans; ab eo Lucilius scripsit 'Quadrantis ratiti'. —

quam lectionem C. O. Muellerus mutavit sic: 'Huic vectura quadrans; ab eo Lucilius scripsit 'Quadrantis ratiti' quia ratibus transibant'. Madvicus[1]) autem 'Scribe' inquit 'Huc, vectura, qui ratibus transibant, quadrans' i. e. vectura iis, qui huc transibant (Muellerus recte 'vectura', in ceteris longe aberravit)'. — Quam coniecturam ego quidem amplector; tamen quod est comma inter verba 'Huc' et 'vectura' deleo neque 'Huc' cum verbo 'transibant' coniungo, sed cum eo quod est 'vectura'. Haec enim coniunctio minime contra ingenium linguae Latinae peccat, siquidem apud Livium legimus 'fugam retro', 'procul spectator', apud Ciceronem 'ictu comminus', apud alios alia quae longum est enarrare.[2]) Si vero quis in liberiore enuntiati relativi usu offendit, quod pronomine demonstrativo magnopere egeat, non

---

1) cfr. Adv. crit. l. c. p. 167.

2) cfr. Reisig. ed. Haase. § 224 (n. 391 extr.) Draeger. synt. hist. I², § 79, p 131 sq.

habet Varroniani sermonis notitiam; illiusmodi enim exempla apud nostrum tam multa extant, ut nonnulla h. l. afferre operae pretium non esse videatur.[1])

Locus qui est V, § 90, p. 92 a Spengelio in editione scriptus est sic: 'Praesidium est dictum quia extra castra praesidebant in loco aliquo quo tutior regio esset' — quam ab eodem Spengelio reiecta esse lectionem supra dixi. Is enim in specimine emendationum quod modo laudavi 'Havniensis' inquit 'et Parisiensis cum Scioppio 'quod extra', Gothanus et Paris. a. c. 'qui extra'; certum de loco restituendo iudicium non fecit. Carolus autem Odofredus Muellerus hos tres codices secutus 'qui' in contextu posuit, quam Florentini codicis esse lectionem Spengelius postea Keilii collatione cognovit et publici iuris fecit a. 1858.[2])

V, § 136, p. 138 in codicibus leguntur haec: 'Rastelli ut irpices, serrae leves; ita qua homo in pratis per fenisecta eo festucas corradit, quo ab rasu Rastelli dicti'.

'Eo' si recte se habet, quin verbum 'rastelli' significet ego non dubito; itaque alter ille ablativus qui est 'qua' quid sibi velit non video. Sed facillime mutando

---

1) Aliter de hoc loco sentit Henricus Iordanus (Top. rom. II, p. 600): 'Hinc vecturae; quia ratibus transibant, Quadrans Ab eo Lucilius scripsit: 'quadrantis ratiti' quam ad sententiam vel ideo non accedo, quod 'quia' particula h. l. non recte se habet; tum de origine vocabuli quadrantis indicanda non cogitandum mihi esse videtur.

2) De emend. rat. p. 12. — Etiam Grothii collatione illam lectionem confirmatam habemus; cfr. p. 28, n. 130. — 'Ceterum in illis verbis omittendum 'est', quod in libro Florentino deesse ante Grothium Spengelius loco modo laudato commemoravit' (p. 11). 'Lex est enim a nostro accurate observata, ut nunquam in origine expedienda passivi tempori praeterito verbum substantivum addatur' Spengel. in emend. spec. p. 5.

scribi potest 'itaque', id quod codex B et lectio vulgata exhibent; quam ego quidem lectionem omnibus reliquis quae sunt coniectae praefero. Vertranius autem pro 'qua' vocabulo legendum coniecit 'quia', quam coniecturam recte factam esse Spengelius in editione existimat, in emendationum illo specimine reicere debuit.[1])

VI, § 24, p. 205 in codicibus scriptum est: 'Hoc sacrificium fit in Velabro, quia in novam viam exitur, ut aiunt quidam, ad sepulcrum Accae'; scribendum esse 'qua' inter omnes constat.

VI, § 36, p. 216 unus in his libris locus est ubi 'quia' pro certo constat. Verba sunt haec: 'Horum verborum si primigenia sunt ad mille —, ex eorum declinationibus verborum discrimina quingenta milia esse possunt **ideo quia** singulis verbis primigeniis circiter quingentae species declinationibus fiunt'.

VI, § 41 p. 220 omnium codicum fide haec particula tradita est sic: 'Hinc agitur pecus pastum quia vix agi potest. Hinc angiportum, qua nil potest agi. Hinc angulus, quod in eo locus angustissimus quoius loci is angulus'.

Aliter orationem Muellerus distinxit, translatis illis 'qua (sic recte scripsit editiones secutus) vix agi potest' quae a superioribus seiungenda esse sensit, non apte ad 'angiporti' notationem, his autem 'qua nil potest agi' pravissime ad 'anguli', et addito 'vel' ante 'quod'. Manifestum est aliquid excidisse, cum fere sic scriptum esset:

---

1) Muellerus sic scribit: '— ita quî homo in pratis, per fenisecta eundo, festucas corradit, quo ab rasu rastelli dicti'; qua in lectione gerundium potissimum quod est 'eundo' offensioni est. De forma 'quî' cfr. V, § 21, p. 31 (Groth. p. 19, n. 27); VI, § 82, p. 259 (Groth. p. 33, n. 175); V, § 124, p. 129; § 166, p. 166; § 114, p. 119 (?). De r. r. III, 2, 12; II, 1, 28; 1, 17; 1, 16. I, 38, 1; 24, 4. — Sat. Men. p. 209, 525; p. 195, 376; p. 170, 100. — De vita pop. rom. p. 29, 53; 27, 41; 29, 51 (?).

'— pastum; [hinc angustum] qua vix agi potest; hinc angiportum, qua nil potest agi; hinc angulus quod . . .'

Gradatim ascenditur ab angusto ('vix') ad angiportum prorsus ab altera parte clausum'. Sic Madvicus;[1]) quem ego acute et non sine specie probabilitatis coniecisse arbitror, 'quia' autem hoc loco movendum esse haud scio an nemo neget.

VI, § 53 p. 229 codicum lectio est haec: 'Hinc Effata dicuntur qui augures finem auspiciorum caelestum extra urbem agris sunt effati ut esset'.

Pro 'qui' pronomine Spengelius in contextu posuit 'quia', quam particulam postea ab eo reiectam esse supra diximus.[2]) Tamen Mommsenius in Herma Berolinensi (vol. X, p. 44) hunc locum sic scribit: 'Effata dicuntur quia augures finem auspiciorum extra urbem agris (d. h. die Grenzlinie des Himmels gegen die ausserstädtischen Fluren) sunt effati ubi esset'.

C. O. Muellerus denique loco huius particulae posuit 'quod'. Ego lectionem traditam ita defendo, ut in forma quae est 'quî' ablativum latere putem. Si vero quis in eo offendat, quod ablativus numeri singularis ad praecedentem pluralem ('effata') respiciat, Spengelius quid statuerit de locutionis 'in quo' et de vocabuli 'quo' usu Varroniano videat in specimine emendationum p. 7 et 8 (n. 7).[3])

VI, § 95 p. 274 Spengelius codicum laudat lectionem hanc: 'Hoc ipsum Inlicium scriptum inveni in M. Iunii commentariis, quod tamen ibi idem[4]) est quod illicite illexit; quae cum E et C cum G magnam habent[5]) communitatem'.

---

1) Cfr. Adv crit. p. 170.
2) Cfr. Emend. Varr. spec. p. 5.
3) 'Ubi' pro 'Ut' Mommsenius forsitan recte coniecerit.
4) 'ibidem' cod. F.
5) cod. F. 'habet'; cfr. Groth. p. 34 n. 186.

Quam vitiosam esse lectionem vides. Itaque Spengelius probat lectionem Ciacconii apud Augustinum ita scribentis: 'quia I cum E, et C cum G' — quam lectionem 'haud dubie vere' coniectam esse censet. Nos de hoc loco sententiam non damus atque nesciendi artem libentissime profitemur;[1] 'quia' autem particulam magnopere in dubium vocamus. Quod idem sensit O. Muellerus ne commemorans quidem illud 'quia', cum in contextu habeat 'quod et I cum E et C cum G magnam habent communitatem.[2]

VII, § 7 p. 288 in codicibus extant haec: 'Qua quia initium erat oculi, a tuendo primo Templum dictum' quae Spengelius in contextu habet. Alii, ut C. O. Muellerus et Lachmannus in hac lectione offendentes longe aliter scribendum esse existimant; id quod supra exposuimus.

In libris de r. r. sine ulla scripturae varietate particula tradita est bis, qui loci sunt libri tertii; nam quae cetera duo exempla editiones prae se ferunt, ex iis unum delendum est, alterum e coniectura originem duxit. Et haec quidem Schneideri est II, 4, 13 scribentis sic: 'Scrofa in sua quaeque hara suos alat oportet porcos, quia[3] alienos non[4] aspernatur'[5] Et recto quidem iudicio Schneiderus negationem inseruit, propter ea quae sequuntur, necessariam. Nec minus recte particulam quae est 'quo' in causalem mutavit; num vero 'quia' h. l. ponendum sit an quod ego cautius propono 'quod', in dubio relinquo. Denique quod idem Schneiderus

---

1) Spengelius ipse in praef. p. XII. hunc locum corruptum vix integrum reddere se valere confitetur.

2) Cfr. Groth. l. c.

3) Traditum est 'quo'.

4) 'non' Schneider. de suo dedit

5) cfr. Corrigenda quae addidit Schneiderus editioni, p. 357. — 'aspernantur' Victorius.

Victorii lectionem 'aspernantur' repudiavit, in eo peccatum admisit; ego cum Gesnero adstipulari Victorio non dubito.

Alterum illud particulae exemplum delendum esse dixi, I, 19, 4 'In eo numero non modo qui prata habent, ut potius oves quam sues habeant, curant, sed etiam qui prata non habent, quia non solum pratorum causa habere debent, sed etiam propter stercus'. 'Posterior enuntiati pars ita auctoritate codicum scribenda est: 'sed etiam qui non solum pratorum causa habent, propter stercus'. Reliqua enim, ut sententiam satis etiam in codicum scriptura, quam restitui, perspicuam magis illustraret, addidit Iucundus'. (Keil. p. 34).

Reliquum est, ut duos locos qui iure particulam praebent, describam; qui sunt unus III, 9, 19 ('Hae Melicae primo dicebantur, quia ex Media propter magnitudinem erant allatae'), alter III, 16, 1; quo loco Appius et Axius inter se disserunt. Itaque Appius cum dixisset 'Relinquitur de pastione villatica tertius actus de piscinis' Axius respondet haec: 'Quid tertius? An quia tu solitus es in adolescentia tua domi mulsum non bibere propter parsimoniam, nos mel negligemus'?[1])

Particula **Forsitan,** quam nusquam inveniri apud

1) Coniecit hanc particulam Madvicus I, 1, 5 (cfr. Adv. crit. p. 179): 'Primum, qui omnes fructus agriculturae caelo et terra continent, Iovem et Tellurem'. Sic codices. Madvicus autem 'Nec Tellus' inquit 'terra nec Iupiter caelo continet fructus agriculturae. Scripserat Varro causam colendi significans: 'Primum, quia omnes fructus . . caelo et terra continentur Iovem et Tellurem'. — Quae scripsisse Varronem ego equidem nego; immo quae codices habent verba optimo esse sensu existimo, hoc: Zuerst rufe ich diejenigen an, welche die Erträge des Ackerbaues überhaupt durch Himmel und Erde inne haben, Jupiter (den Gott des Himmels) und Tellus (die Göttin des Erdreichs). — In fragmentis particulam legimus sat. Men. p. 181, 221 ('ideo quia'); p. 175, 157; p. 198, 407. De vita pop. rom. p. 25, 28 (?). Rer div. p. 108, 12.

Plautum, rarissime positam esse ab Terentio Mauricius Hauptius[1]) docuit, apud nostrum, si codices sequimur, in libris de l. l. bis, in libris de r. r. numquam extat. Sed ne illa quidem duo exempla servanda esse videntur Spengelio qui formulam Varroni usitatissimam 'fortasse an' illic quoque scribendam esse existimat. Unus autem ex illis locis est VI, § 14 p. 196, quem e codice Florentino expressum legimus apud Spengelium sic: 'In libris Saliorum . . . forsitan hic dies ideo appelletur potius Agonia.' Ceteri codices omnes editionesque habent 'appellatur,' quam formam C. O. Muellerus audacissime in contextum recepit. — Alter ille locus IX, § 60 p. 500 in codicibus scribitur sic: 'Forsitan ab eo, qui mane natus, diceretur, ut is Manius esset'; ubi item sine ulla scripturae variatione particula prodita est.[2]) Quae cum ita sint, Spengelium inutititer coniecisse credimus particulamque 'forsitan' retinemus. Formula autem '**fortasse an**' apud nostrum legitur De l. l. V, § 34 p. 36; VII. § 40 p. 326; VIII, § 7 p. 396. De r. r. III, 16, 10; 6, 1 (ubi Scaligerus atque Ursinus ex aliis scriptoribus plura huius formulae exempla congesserunt).

'**Fortasse**' sine adiecto vocabulo 'an' admisit Varro de l. l. V, § 101 p. 103; § 182 p. 181. Sat. Men. p. 190, 331.

Particula '**Forte**', cum significat 'etwa,' 'vielleicht,' Varroni tantummodo placuit in sententia condicionali; itaque legimus de l. l. VI, § 9 p. 192 '— hinc aestivum,

1) cfr. Opusc. III, p. 520.

2) Hic locus a Muellero sic mutatus est: '— qui mane natus esset, ut is Manius diceretur' qua verborum transpositione genuinam loci lectionem obscurasse mihi videtur. Ego quae codicum est lectionem tutatus dictum esse puto pro 'diceretur Manius' paulo copiosius 'diceretur, ut is Manius esset.' cfr. VI, § 53 p. 229 'finem'. sunt effati ut ('ubi' Mommsen.) esset; VII, § 105 p. 383.

nisi forte a Graeco *αἴθεσθαι*'; X, § 58 p. 578 'si . . casus forte figura corrupta erit.' Praeterea 'forte' apud nostrum non invenitur.[1]) Nam quo loco scriptum est ab Henrico Iordano,[2]) de l. l. V, § 47 p. 52 extr. 'Carinae forte a cerimonia, quod . . .', is in codicibus sic legitur: 'Carinae postea cerionia'.[3]) Ego cum Spengelio legendum censeo 'Carinae potest[4]) a cerimonia, quod . . .'.

In libris de r. r. huius particulae vestigium non extat.

De particulis quae sunt 'tam' — 'sic' — 'ita' nunc dicturus proficiscar ab ea quae est

Ita.

Quae in libris de l. l. numquam, in libris de r. r. fere numquam comparando inservit; quae autem exempla alia e coniectura, alia e codicum auctoritate hanc praebent, ea nunc accuratius tractabo. Itaque de l. l. V, § 66 p. 73 non recte scripsit Muellerus — 'ubi omnia, ut oriuntur, ita aboriuntur' pro eo quod traditum est 'ubi omnia oriuntur vi aboriuntur'. Ego quid de hoc loco sentiam supra dixi.

VII, § 1 p. 280 falso conicit Madvicus cum scribat: . . . 'repens ruina operuit, ita verbum quom conditum est e quibus litteris oportet, inde post si aliqua demptast, obscurior fit voluntas impositoris'. Verba enim ita con-

---

1) In antiq. rer. div. (l. c. p. 206, 6) 'forte' idem est quod 'contra naturam'.

2) cfr. topogr. rom. II, p. 246.

3) 'cerimonia' coni. Becker., quod probat Spengelius (Phil. 32, 98) et Groth. p. 13.

4) Malim 'possunt.' — Huius dictionis exempla cum alia invenies apud Muellerum ad V. § 38, tum haec: V, § 122 p. 128; VI, § 45 p. 225; VII, § 94 p. 371; § 97 p. 373. — '**Pote**' admisit noster V, § 21 p. 31 'pote vel illinc.' Reliqua huius verbi exempla sunt haec: de l. l. V, § 25 p. 41. De r. r. I, 15, 1. II, 2, 6. (cfr. II, 2, 1). Sat. Men. p. 185, 268. p. 187. 289.

struere videtur ut praecessisse fingat particulam 'ut' in codicibus iam non extantem, cui respondeat 'ita'. Quae in codicibus legantur quaeque ego de hoc loco iudicem, supra exposui.

IX, § 94 p. 527 codicum lectionem, quae est: 'Quare dissimilitudinum[1] discernendarum causa nonnunquam ut pronomen assumitur, sic casum aliquem assumi ut in his Nemus Lepus, hic lepus, hoc nemus. Itaque discedunt ac dicuntur hi lepores, haec nemora' Spengelius sic, ut notavi, interpunxit. Muellerus vero post verbum 'assumi' plene distinguens reliquam orationis partem sic decurrere iubet: 'Ut in his nemus lepus, hic lepus hoc nemus: ita discedunt ac dicuntur hi lepores, haec nemora'; quam lectionem falsam esse mihi persuasi.

IX, § 111 p. 539 in codicibus legimus haec: 'De eo quod in priore libro extremum est, ideo non est[2]) analogia, quod qui de ea scripserint, aut inter se non conveniant aut in quibus conveniant ea cum consuetudinis discrepant[3]) verbis utrumque.[4]) Sic enim omnis repudiandum erit artis, quod et in medicina et in musica et in aliis multis discrepant scriptores item in quibus

1) 'similitudinem' cod. F. (Groth. p. 61).

2) 'esse analogian' Mueller.

3) 'consuetudine discrepent, amovebis utrumque' Mueller.

4) Quod Henricum Stephanum secutus Spengelius deesse apodosin putat ac lacunam statuit, eius in codice Florentino vestigium est nullum. Itaque Muellerus de ea dubitat et scribendum conicit 'amovebis utrumque'. Et hunc quidem sensum aliumve quem similem, ut 'utrumque est falsum' ego quoque expecto. Quid vero futurum hic sibi velit quidque altera huius temporis persona, non perspicio: utrumque plane alienum est a more Varronis, ut omittam verbum illud ipsum numquam a nostro admissum esse. Quo Muellerus ipse fore ut aptius aliquod reperiatur ingenue confitetur; itaque nos, si proponere licet, suspicamur scriptum fuisse 'cum consuetudine discrepent: perversum utrumque'.

conveniunt ut scriptis si etiam repudiant[1]) natura, quod ita ut dicitur non sit ars sed artifex reprehendendus, qui debet in scribendo non vidisse verum non ideo non posse scribi verum'.

Duabus igitur de causis analogiam reprehendunt. primum 'quod qui de ea scripserint, inter se non conveniant', deinde 'quod in quibus illi conveniant, ea cum consuetudine discrepent'; quae argumenta Varro ita refutat, ut in universum ea transferat et quam prava inde sequantur demonstret. Verba autem, quibus utitur, fere eadem sunt quae illi analogiae accusatores ipsi contra eam fecerunt, ita ut ad prius eorem argumentum respondeat 'Sic enim omnis repudiandum erit artis, quod et in medicina et in musica et in aliis multis discrepant scriptores'. Alterum autem quo modo refellat, si codices sequimur, non perspicuum est. Augustus vero Wilmannsius[2]) lectionem traditam recte correxisse mihi videtur sic: 'item in quibus conveniunt scriptis, scientiam repudiant naturae'.[3]) Ita enim particula 'item' intelligenda est, ut sicut semper fere, similia similibus adiungat; id quod Muellerus et Madvicus[4]) viderunt, Spengelius in editione sane mirum in modum neglexit.[5])

Reliqua huius loci verba ut statim recenseam, Spengelius non recte intellexisse mihi videtur. Liceat mihi locum ex eius interpunctione iterum describere: 'quod et in medicina et in musica et in aliis multis discrepant scriptores item, in quibus conveniunt, ut,

1) Sic corr. in F. ex 'repudiat'; cfr. Groth. p. 62.

2) 'De M. Terenti Varronis libris grammaticis particula'; dissert. Bonn. a. 1863, p. 48.

3) Male Muellerus: 'item in quibus conveniunt, scriptis etiam repugnat natura'.

4) Adv. crit. p. 177.

5) Coniungit enim 'quod et in medicina . . . discrepant scriptores item'.

scriptis si etiam repudiant, natura (quod ita, ut dicitur, non sit ars sed artifex reprehendendus, qui debet in scribendo non vidisse verum) non ideo non posse scribi verum'.

Quod ego percipe renequeo: neque enim 'ideo' particula quid sibi velit intellego neque cur verba inde a 'quod ita' usque ad 'vidisse verum' parenthetica esse vir doctus significaverit. Deinde persuasum habeo Varronem in verbis quae sunt 'non ideo non posse' negationem non sine causa bis admisisse: contraria enim haec esse iis quae praecedunt 'qui debet in scribendo non vidisse verum' apertum est. Itaque nullo modo haec duo enuntiata seiungenda sunt, scribendum potius: qui debet[1]) in scribendo non vidisse verum, **non** (sc. debet) ideo non posse scribi verum'.

Sic Muellerus et Madvicus: Wilmannsius vero, quod pace viri egregii dixerim, mihi non recte coniecisse videtur sic: 'Quod ita ut dicitur non sit ars, sed artifex reprehendendus, non video ideo non posse scribi verum'; qua in lectione ego potissimum illud 'video' languidius esse existimo. Deinde non offendit Wilmannsius in verbis quae sunt 'quod ita' — 'cui iuncturae, nimis durae et hianti vitium inesse' iam C. O. Muellerus bene viderat; nec tamen expellere eam contextu ausus est nec sanandi ullam rationem attulit. — Longe aliter de hoc loco iudicat Madvicus;[2]) sic enim legit: 'item, in quibus conveniunt scriptis (i. e. scriptores), si etiam repudi**at** natura, quod ita, ut dicitur (i. e. in scriptis), non sit (i. e. in natura), **non est** ars, sed artifex reprehendendus, qui

---

1) Debendi verbum a Varrone saepe ita usurpari, ut significet idem quod 'sequitur, colligitur inde' C. O. Muellerus bene monuit. Quod vero dure haec enuntiata inter se conexa sunt, nemo dum aliquam Varronianae dictionis notitiam habeat, pedem offendet.

2) Adv. crit. p. 177.

debet in scribendo non vidisse verum, non ideo non posse scribi verum'.

In quo primum vitupero formulam quae est 'ita-ut'; deinde 'si etiam' pro 'etiamsi' positum;[1]) tum artificiose torteque interpretandi rationem; denique quem ad sensum tota oratio decurrat plane obscurum est.

Ego legendum esse arbitror sic: 'quom tamen,[2]) ut dicitur,[3]) non sit ars sed artifex reprehendendus, qui debet in scribendo non vidisse verum, non ideo non posse scribi verum'.

Haec habeo quae de hoc loco dicam: tamen priusquam ab eo discedam, liceat mihi eum ex mea sententia totum describere. Sic igitur lego: 'De[4]) eo quod in priore libro extremum est, ideo non esse analogian, quod qui de ea scripserint, aut inter se non conveniant, aut in quibus conveniant, ea cum consuetudine discrepent: perversum utrumque. Sic enim omnis repudiandum erit artis, quod et in medicina et in musica et in aliis multis discrepant scriptores, item, in quibus conveniunt[5]) scriptis, scientiam repudiant naturae; quom tamen, ut dicitur, non sit ars, sed artifex reprehendendus, qui debet in scribendo non vidisse verum, non ideo non posse scribi verum'.

In libris de r. r. Varro eadem se lege astrinxit, tamen ut uno hoc loco I, 9, 3 'ita' particulam praecedenti 'ut' respondentem faceret: 'Uti horum varietates, ita ge-

1) 'si etiam' apud Varronem omnino non legitur.

2) Sic ego; codd. 'quod ita'. De iunctura 'quom tamen' cfr. IX, § 40, p. 485.

3) 'ut dicitur' i. e. de arte est una omnibus sententia (sc. non eam esse reprehendendam, sed artificem), de analogia non item.

4) De hoc particulae usu supra diximus.

5) Post hoc verbum in codd. est 'ut', natum ex ultimis literis verbi 'conveniunt' (Muell.).

nera haec'.[1]) I, 42 apud Gesnerum legimus: 'id seritur ita, ut semen iactatur, quemadmodum scilicet cum pabulum et frumentum seritur'; in quo Gesnerus ipse vel 'iactetur' vel 'iaciatur' reponendum esse existimat.[2]) Quod vero pro ea quae est in manuscriptis nota L in contextu posuit 'scilicet', non recte fecit.[3])

Sed 'ita' particulae qui sit proprius apud Varronem usus si quaerimus innumerabilibus locis ita consistit, ut particula 'ut' consecutiva sequatur: valet igitur 'tantopere' vel 'in eum modum'. Cuius generis exempla longum est enumerare; ea potius afferemus, quibus alius aliquis particulae usus comprobatur. Itaque primum est memorabile, saepissime in his libris quos de originibus verborum indicandis scripsit, Varronem cum verbis dicendi, nominandi, appellandi hoc adverbium consociasse; in omnibus autem exemplis (quae supra notavimus) 'ita' ad praegressum aliquod verbum spectat. Reliqua particulae exempla in libris de l. l. sunt haec: V, § 4 p. 14 (fieri); cfr. VI, § 52 p. 228; VIII, § 3 p. 393; IX, § 87 p. 522. (cfr. de r. r. II, 1, 12). VII, § 26 p. 312 (nasci); V, § 105 p. 108 (sonare): in quibus particula item ad praecedentia respicit. His autem locis, qui sunt VII, § 14 p. 300; X, § 42 p. 568 num recte 'ita' legatur vehementer du-

---

1) In antiq. rer. div. legitur p. 106, 2: 'sicut — ita'; item p. 186. — p. 106, 2: 'Quomodo — ita': quod ego Varronem scripsisse nego. Sat. Men. p. 176, 166 ('ita ut soliti eramus').

2) 'iaciatur' ego cum Zahlfeldtio p. 19 n.

3) De hac nota mihi recte iudicasse videtur Scaligerus ad I, 59, 2; cui adstipulatur Zahlfeldt. p. 18 sq. — Ceterum particula quae est '**scilicet**' in his de r. r. libris legitur III, 9, 4 e pulcherrima Scaligeri emendatione, quam et Gesnerus et Keilius (p. 42) verissimam putant. Libri de l. l. particulae exempla habent duo: X, § 18 p. 555; § 44 p. 570 (quem locum Spengelius emendavit De emend. rat. p. 10) In fragmentis legitur Sat. Men. p. 176, 167. (p. 189, 319 Buecheler 'si licet').

bito; certe in illo Muellerus rectius mihi scripsisse videtur 'item'.

Libri de r. r. hunc eundem particulae usum ostendunt: plurimis enim locis eam sequitur 'ut' consecutivum neque paucis eam verbis quibusdam additam habemus ita ut ad praegressa pertineat.[1]) Unum inveni locum, ubi enumerationem indicat, III, 16, 12 ('Μελιττῶνας ita facere oportet':), quo munere alioquin semper 'sic' particula apud nostrum fungitur.

Denique hoc loco I, 13, 7 qui vulgo legitur: '(Cella vinaria quaerit . .) aera frigidiorem, ita olearia caldiorem' ego quod fere omnes veteres editiones habent 'item' scribendum esse mihi persuasi.[2]) 'Solet enim Varro comparativis particulis ita uti, ut non addita copulativa nomen aliquod cum altero nomine coniungant'[3]) quod idem valet de enuntiatis; particulam vero 'ita' comparando apud Varronem non inservire supra ostendimus. Quae autem sunt comparativae, ut 'item' — 'sic' — 'etiam', ex iis 'etiam' particulam supra in hanc quaestionem vocavimus; duae ceterae in tanta huiusmodi exemplorum multitudine cernuntur, ut silentio praetermittendae esse videantur. Hoc unum de particula

Sic

annoto, Varronem saepissime in fine enumerationum ponere formulas quae sunt 'sic alia', 'sic multa', 'sic reliqua', 'sic deinceps' vel apposita copulativa 'et sic alia'. Cuiusmodi exempla compluria collegit Spengelius.[4])

De quibus exemplis idem Spengelius l. c. sic loquitur: 'Substantivum si additur, medium tenet locum,

1) Hoc idem valet de reliquorum scriptorum reliquiis.

2) Nettleship. Journal of philology VII. (1877 p. 173.) sic: 'cum fructus quaerat u t ad vinaria dolia aera frigidiorem, ita a d olearia calidiorem.'

3) Keilius l. c. p. 28.

4) cfr. Emend. Varr. spec. p. 16. n. 19.

v. c. p. 407 (sic in casibus aliis); p. 505. 541. 580.[1]) unde p. 478 (sic in aliis discriminibus) quamvis omnes libri teneant, ad illorum amussim redigendum erit'. Sed ego quamvis libenter Spengelio assentiar, 'constantissimum esse Varronem'[2]), tamen constantiorem iusto vir doctus finxisse eum mihi videtur. Habent enim substantivum ea ratione, in qua Spengelius offendit, collocatum loci hi: VIII, § 21, p. 407. IX, § 12, p. 464; § 60, p. 500. X, § 6, p. 547; § 41, p. 568. — De r. r. I, 2, 21; 9, 3. III, 14, 4; 16, 26.

Quare Spengelius non iure in illa verborum collocatione offendit. Sed plura de hac particula adiciemus. Cui id potissimum tribuit noster, ut comparando inserviret. Exempla afferre longum est neque ullius momenti; ea potius investigemus, quae 'sic' ita adhibitum praebent, ut sententia finalis vel consecutiva una cum 'ut' particula sequatur. Itaque de l. l. V, § 175 p. 175 legimus: 'Arrabo sic data, ut Reliquom reddatur'; qua in lectione nemo adhuc offendit. Atqui offensioni debet esse primum vox 'data', siquidem 'Arrabo' masculini generis esse constat; deinde enuntiati huius forma aliena est ab ea quam cetera huius de pecuniae vocabulis quaestionis ostendunt. Conferas enim sententias quae sunt: 'Dos, si . . .' — 'Reliquom, quod . .' — 'Lucrum, si . . .' — 'Damnum, quod . .' Concinnitatem igitur quam in his omnibus enuntiatis vides cuique Varro omnino magnopere studet,[3]) ille locus noster pervertit. Tum vero particula 'sic,' et si ad sensum spectas et si compertum habes, eam a Varrone in libris de l. l. nunquam adhiberi cum 'ut' particula in sententia finali vel consecutiva

1) Addo VI, § 55, p. 232; IX, § 47, p. 489.
2) Cfr. Emend. Varr. spec. p. 12. n. 14.
3) cfr. Acta acad. Mon. p. 458 sq.

posita sequitur,[1]) nulla ratione servari potest. Itaque remedium si quaerimus, cum eas quae praecedunt sententias videmus, eam quae est 'Pecunia vocabulum mutat; nam potest item dici Dos, Arrabo, Merces, Corollarium', alteram quae hanc sequitur 'Dos, si nuptiarum causa data' (i. e. Pecunia vocatur Dos, si . . data), ille locus sic emendandus esse videtur: 'Arrabo, si data ut Reliquom[2]) reddatur'.

Quoniam hoc loco particulam 'sic' removimus, in huius modi altero qui est X, § 43 p. 569 quietane sit relinquenda videamus. Is autem legitur sic: 'Quod dico, apertius sic fiet. Esto sic expositos esse numeros, ut in primo versu sit unum duo quattuor'. Qui locus si recte se habet, paulo alium particulae usum ostendit ac primo quidem obtutu videtur. 'Sic' enim non idem valet quod 'ita', sed, ut saepe ita positum est, ut enumerationem vel narrationem indicet[3]) (quod nos dicimus 'folgendermassen'), sic etiam h. l. ad eandem fere rationem pertinet.

Libri de r. r. particulae usum eundem ostendunt, quem libri de l. l. Tamen legitur I, 41, 2: 'cuius surculi corticem integrum servandum et eum sic[4]) exacuendum, ut non denudes medullam'. — II, 5, 16: 'In alimoniis armenticium pecus sic[5]) contuendum, lactantes cum

---

1) Qui unus huiusmodi locus est in libris de l. l. X, § 43 p. 569, ibi 'sic' paulo aliter se habet. (Sed in antiq. rer. div. p. 109, 15 legitur: 'Quae sic abhorrent, ut tamen . . assumpta sint non pauca').

2) 'Reliquom' quid significet, Varro ipse demonstrat; cfr. Muellerum ad hunc locum.

3) cfr. de l l. V, § 11. 47. 50. 52. 58. VI, § 27. 31. 88. 90. VII, § 7. 8. IX, § 85. 109. X, § 5. 45. 45. 49. 74 De r. r. I, 2, 7; 25, 1. II, 2, 5; 3, 5; 4, 5; 5, 11. — Sat. Men. p. 212, 564.

4) 'cum sit' veteres quaedam editiones.

3) 'sit' Politianus.

matribus ne cubent'. Ego vero hunc locum aliter intellego atque editores, cum et pro 'ne' expectes 'ut non' et in iis quae sequuntur, praecepta cetera insint quomodo in alimoniis armenticium pecus tractari oporteat. Quae omnia 'sic' particula indicata esse puto, quam ob rem interpungi velim sic:

'In alimoniis . . . pecus sic contuendum : Lactantes ne cubent . . . etc.'.

II, 5, 18 'Numerus de tauris et vaccis sic[1]) habendus, ut in sexaginta unus sit anniculus, alter bimus'.

I, 40, 4 Victorius tradidit haec: 'Tertium genus seminis, quod ex arbore per surculos defertur in terram si in humum demittitur in quibusdam cum est videndum . .' quam perturbatam esse lectionem et maculosam apparet. Iam vero Gesnerus quod scribit 'sic in humum demittitur, ut in quibusdam tamen sit videndum . . .' error errore est cumulatus. Ego cum Scaligero sic scribo: 'Tertium genus seminis, quod ex arbore per surculos deseritur in terram. Videndum, ut . .'[2]) Restat ut unum huiusmodi locum commemorem I, 64, 1 'id quidam sic solent tueri —, ut traiciant in alia vasa...'; quo loco de 'sic' particula nihil est unquam dubitatum nec dubitandum. Itaque si omittimus locos qui sunt I, 40, 4; II, 5, 16, in libris de r. r. 'Sic' particula tres huiusmodi locos occupat, in libris de l. l. unum.[3])

Haec de particularum quae sunt 'ita' et 'sic' diffe-

1) 'sit' Pol.

2) Hoc etiamsi non recte se habeat, certe tam bene excogitatum est mihique placet adeo, ut cum 'aquila in nubibus' errare quam aliam sanandi viam inire malim. 'Sunt autem ea quae hic apposita erant, ita inepta ut alias nobis convincenda esse non putemus' (Scaliger.).

3) Fragmenta praeter illud quod diximus exemplum e rer. div. libris huiusmodi non habent.

rentia satis habeo attulisse; cetera enim 'sic' particulae quae praeterea extant exempla fere omnia aut comparativam aut copulativam eius naturam ostendunt, paucis vero admodum locis pro 'sic' non minus recte 'ita' obtinere posse dicas. — Iam ad particulam quae est

Tam

ut veniamus, saepius legitur formula quae est 'tam — quam'; saepius 'Non tam — quam';

Non posita est particula 'quam,' sed cogitatione supplenda de l. l. X, § 57 p. 578. De r. r. I, 2, 3; his vero duobus locis quos nunc afferam, vix fieri potest, ut 'quam' suppleamus, immo dicendum est 'non tam' idem valere quod 'non multum,' 'non valde.' Loci sunt hi: de l. l. IX, § 2 p. 458; de r. r. I, 29, 2. — 'Quam — tam' formula uno loco extat, hoc: De r. r. II, 9, 12. ('Quam paucissimos reliqueris, tam optimi . . fiunt').

Quae restant particulae 'tam' exempla, in his adverbii vel adiectivi notionem amplificat. Sunt autem haec: De r. r. II. 5, 1 (conviciatus . . quod tam sero venisset); de l. l. IX, § 32 p. 477. (Quis est tam tardus qui . . non animadverderit?) cfr. sat. Men. p. 182, 236. Praeterea 'tam' legitur sat. Men. p. 185, 261. Qui autem est locus de r. r. III, 2, 5, ibi Schneiderum male coniecisse 'tam', Keilius ostendit (l. c. p. 61). —

Iam ad calcem perventum est; quare, quod supra promisimus, de locis quibusdam corruptis quid sentiamus reliquum est ut disputemus. Initium orationis faciamus a loco qui est de l. l. VI, § 83 p. 261: ubi in codicibus extant haec:

> 'Litera commutata dicitur Odor, Olor; hinc Olet et Odorari et Odoratus[1]) et Odora res.'

'Post haec in codd. et vg. legitur 'sic ab,' quod

1) cod. F. 'odoratur.'

coniungitur cum sequentibus 'Sic ab Ore edo, Sorbeo, bibo, poto.' Nempe addidit hoc, qui non intellexerat, nunc, postquam de visu, auditu, olfactu dictum, Varronem explicare, quid ore faciat homo. Itaque expellenda erant haec verba, tanquam scioli additamentum.' Sic Muellerus in editione. Et recte quidem in illis verbis offendit, cum neque 'sic 'neque 'ab' ullo modo hic obtinere possit; sed qua de causa sciolus quidam ea addiderit, ego non perspicio. Itaque ea non expellenda, sed mutanda esse existimo sic:

hinc Olet et Odorari . . et Odora res, sic alia.[1])

VI, § 55 p. 231 manuscriptorum lectio est haec: 'Ab eodem (i. e. Fari) Falli, sed et Falsum et Fallacia'.

Solitarius hic locus propterea quod ad verba persimilia inter se copulanda adhibitam praebet particulam 'sed'; pro qua ego non dubito scribere 'sic', quam saepissime in hoc usu versari apud nostrum supra ostendi.

X, § 41 p. 568 codices exhibent haec: 'Sic item in aliis rebus omnibus proportione dicuntur ea: in quo est sic quadruplex natura, ut in progenie quom est filius ad patrem sic[2]) est[2]) filia ad matrem, et ut est in temporibus meridies ad diem, sic media nox ad noctem'.

'Quom est' Spengelius mutari vult in 'quom ut est', Muellerus in 'quomodo est'. Utramque repudio coniecturam ac Muelleri quidem ea potissimum de causa, quod particula 'quomodo' numquam comparando inservit.[3]) Mihi vero legi placet 'quemadmodum' totumque locum sic interpungi: '— sic quadruplex natura, ut in progenie,

1) De hac formula supra diximus.

2) Codd. 'sic si'.

3) Semper est apud nostrum particula interrogativa, ut de r. r. I, 2, 21; 18, 1. De l. l. VI, § 90 p. 267.

quemadmodum[1]) est filius ad patrem, sic est filia ad matrem'.

V, § 100 p. 102 scriptum est in codicibus: 'Ursi Lucana origo vel unde illi nostri ab ipsius voce', quem locum nec Spengelius cum interpungat 'Ursi Lucana origo vel unde illi, nostri ab ipsius voce' nec Muellerus distinguens 'Ursi Lucani origo, vel unde illi, nostri, ab ipsius voce' in ordinem redegit. Et e Spengelii quidem interpunctione huius loci prima pars sensu est optimo, hoc: 'Ursi in Lucanis oriundi sunt vel unde illi originem duxerunt'; reliqua verba quid sibi velint non dilucidum est. Muelleri vero de hoc loco iudicium penitus totumque reiciendum esse censeo: Quid enim est: 'Ursi Lucani origo . . . ab ipsius voce'? Nam manifestum est, Varronem verbis quae sunt 'Ursi Lucana origo', has bestias unde ortas esse existimet significare, non veriloquium earum nominis exponere. Quod si explicaret, verba 'Lucani' et 'origo' utique omisisset dixissetque 'Ursus ab ipsius voce (dictus)'. Deinde si recte interpretor, verba 'vel, unde illi (i. e. Lucani), nostri (sc. ursi)' — quaerendum est rene vera crediderit Varro Lucanos originem traxisse a Latinis. Quid plura? Et sanam sententiam et linguam Varronis desideramus: quod ego utrumque hac mea coniectura restituo:

'Ursi Lucana origo vel unde illi, nomen ab ipsius voce'.

Primum igitur originem Ursorum, deinde veriloquium nominis indicat. Quod autem reposui 'nomen', et per se ipsum commendatur et facillime depravari potuit a librario ut scriberet 'nostri', quia oppositionem qualem videmus ut V, § 98 (veteres — nostri); § 166 (nostri — Graeci), hoc quoque loco propter vocem 'illi' cogitare in promtu est. Non praeteribo, coniecturam

1) De hac particula supra dixi.

meam ut facerem, etiam praecedenti sententia qua de tigris nomine agitur, me adductum esse; nam quod illic est enuntiatum 'vocabulum e lingua Armenia', ei simillimum feci hoc: 'nomen ab ipsius voce'.

V, § 25, p. 41 in Spengelii editione (quem sequitur Muellerus) genuinam codicis Florentini lectionem non legimus; ipse enim Spengelius quae esset codicis lectio ignorabat. Quam posteaquam Keilii collatione cognovit, anno 1854 in lucem edidit,[1]) hanc: 'Hinc udus uvidus, hinc sudor quamvis deorsum in terra'.

'Ad vocem quae est 'sudor' in margine ab eadem manu ascriptum est verbum vix legibile 'udorissi' incerta, ut Lagomarsinus ait, prima littera.[2]) Muellerus cum scripsit 'hinc sudor, quod fluit deorsum in terram' ipsa Varronis verba videri non potest assecutus esse neque ipse credidit, sententiam tamen eius recte percepit. Disputat enim de vocabulis quae ab humo dicta esse putat, quodque sudoris vocem eodem refert, minime differt ab aliis eius circa veriloquia somniis'.[3])

Nos vero genuinae lectionis mutandae causam non videmus itaque scribendum putamus: 'hinc sudor et udor. is si quamvis[4]) deorsum[5]) in terra, unde sumi pote,[6]) Puteus'.

---

1) cfr. Acta acad. Monac. l. c. p. 432.

2) Quae sit littera ne Grothius quidem assecutus est; cfr. p. 21, n. 49.

3) Sic Hauptius in Herma Berolinensi I, p. 260. Non commemoravit Spengelii de hoc loco coniecturam quam fecit l. c. p. 432, hanc. '(Hinc sudor et) udor. is si aqua iugis deorsum in terra unde sumi pote, puteus'.

4) De hac particula supra diximus.

5) 'Deorsum' cum eodem sensu a nostro adhibitum est de l. l. V, § 161, p. 161. De r. r. I, 6, 3 (cfr. Victorii commentum); 6, 3; 6, 4. — Motum significat de l. l. IX, § 86, p. 521 (deosum versus); de r. r. II, 7, 5 (deorsum versum); III, 5, 4 (deorsum in terram) cfr. sat. Men. p. 167, 75.

6) De hoc verbo dixi supra.

Ablativum 'in terra' tenere non modo licet, sed prorsus necesse est, siquidem sententia est haec: 'Udor quamvis sit deorsum in terra, tamen sumi pote. Is autem locus, unde sumi pote, Puteus (dictus)'.

VII, p. 286, § 5 quae in codice F. leguntur 'tum quae cum temporibus sunt coniuncta dis utque cum his sint coniuncta adiungam' ego sic restituo: '— de iis, utque cum his sint coniuncta, adiungam'. Perperam Muellerus 'utque' particulam mutat in 'ut quae:' male enim iterum ponuntur verba 'quae cum his coniuncta.' Deinde libidinose pro 'dis' in contextu ponit 'sed ita', in quo praeterea 'sed' particula durescit. Denique adiungendi vocabulum non, quod Muellerus velle videtur, significat 'obiter tractare', sed fere idem est ac dicere; id quod toto hoc libro septimo demonstratur, in quo verba quae ipsa tempora significant, non copiosius explicantur quam ea quae cum illis coniuncta sunt.

Spengelius scribendum esse coniecit: 'tum quae cum temporibus sunt coniuncta, dicam utque cum his sint coniuncta adiungam'. Qua in lectione 'utque' adhibitum est pro 'et ut'. At non exponere vult Varro primum ea quae cum temporibus sunt coniuncta, deinde quomodo — quem sensum 'ut' particulae Spengelius tribuit — cum his cohaereant, sed tantum dicere de iis quae ad tempora pertinent quomodocunque[1]) cum his sunt coniuncta. In eadem Spengelii correctione quod est 'dicam' vehementer languescit atque inutiliter e praecedentibus repetitum est. Dixerat enim Varro paulo

---

1) Conferas locos qui sunt V, § 13, p. 24. 'Sed qua cognatio . . erit verbi, quae radices egerit extra fines suas, persequemur'; VI, § 1, p. 184 'Atque si qua erunt ex diverso genere adiuncta, potius cognationi verborum quam auditori calumnianti geremus morem': qui loci particulam 'utque' i. e. 'utcumque' admodum commendant.

ante haec: 'Dicam in hoc libro de verbis quae a poetis sunt posita: primum de locis, dein quae[1]) in locis sunt, tertio de temporibus, tum quae cum temporibus sunt coniuncta . . .' quem orationis contextum illo verbo interrumpi ac prorsus turbari in aperto est.

Qui locus est de l. l. IX, § 40, p. 484, ibi tradita sunt haec: 'Quod rogant, ex qua parte oporteat simile esse verbum a voce an a significatione, respondemus a voce; sed tamen nonnunquam quaerimus genere similiane sint quae significantur, ac nomen virile cum virili conferimus, feminae cum muliebri, non quod id quod significant voces, commoveat, sed quod nonnunquam in re dissimilis figurae formas indissimiles imponunt dispariles ut calcei muliebris sint an viriles dicimus ad similitudinem figurae, cum tamen sciamus nonnunquam et mulierem habere calceos viriles et virum muliebris'.

Non totum se recte habere hunc locum ego cum multis editoribas arbitror; sed quae mendosa putarunt et coniecturis vexaverunt, non recte tentasse mihi videntur. Sic Spengelius quod inducendum putat verbum 'indissimiles', sic Muellerus quod scribit 'sed quod nonnunquam in re dissimili similis figurae formas, in re simili imponunt dispariles'.

Ego vero primum offendo in singulari numero qui est 'in re', quod verbum in plurali ponendum esse maxime propter verba quae sequuntur 'formas indissimiles' mihi persuasi. Lego igitur 'in rebus'. Cetera autem quomodo scribenda sint, accuratius investigemus. Itaque tota paragrapho undetricesima hoc unum illustratur: 'Cave concludas, si quae verba aut res figura similia sint, ea omnino esse similia'. Similitudo enim verborum

---

1) Cfr. Groth. p. 35. n. 198. (Spengel in emend. Varr. spec. p. 10.)

iudicari solet ut fas est, imprimis e figura eorum i. e. e voce[1]); tamen nonnunquam, quoniam sola figura falli possumus, quid significent verba et 'genere similiane sint' rogare oportet. Causa vero, cur hoc quaeramus oporteat, verbis illustratur quae sunt: 'quod nonnunquam in re dissimilis figurae formas indissimiles imponunt dispariles' quae ego restituenda esse censeo sic: 'quod . . in rebus **similis** figurae formas dissimiles[2]) imponunt, dispariles ut calcei muliebres sint an viriles dicimus ad **similitudinem** figurae . .'

Ac primum quidem calceos hoc loco dispariles appellari quasi necesse est, ut primo obtutu unicuique alter mulieris, alter viri esse videatur; conferimus enim utrumque et cum virili et cum muliebri calceo ac similitudine figurae adducimur ut dicamus, hunc esse viri, illum mulieris, 'cum tamen sciamus nonnunquam et mulierem habere calceos viriles et virum muliebris.' Habemus igitur, ut iterum dicam, e disparilibus calceis unum, qui simili est figura ac muliebris, alterum cui similitudo quam maxima est cum virili; nec tamen has 'res similis figurae' statim omnino similes putare debemus (i. e. calceum qui muliebris videtur, muliebri; qui virilis videtur, virili similem), quia saepe mulieris calceo formam virilem, calceo viri muliebrem formam imponi constat. Iam vides, me recte correxisse: 'in rebus similis figurae formas dissimiles imponunt'?

1) Verba quae sunt 'figura' et 'forma' h. l. ita inter se differunt, ut illud ad externam speciem (quae est in verbo vox); hoc ad effectum vel significationem pertineat.

2) 'indissimiles' falso scriptum est, cum verbo opus esset contrario illi quod falso scriptum erat 'dissimilis'.

Theses.

1) In Festi de verb. signif. lib. quatern. IX, ap. Muellerum p. 161, 28 usque ad Keilium tradita ferebantur 'Marspedis . . . inprecaticie solita uallium quid significet, ne Messala quidem augur . . reperire se potuisse ait.'

In quibus illa quae sunt 'inprecaticie solita uallium' Muellerus mutanda coniecit sic: 'in precatione solitaurilium'. Sed tradita sunt non 'inprecaticie solita uallium' sed 'sesita uallium quod' (cfr. Keil. in nov. mus. rhen. VI. p. 621), quae ego scribenda esse censeo sic: 'in precatione auguralium'.

2) In Catulli carm. 55, 11 legendum existimo cum Avantio 'nudum sinum reducens', non cum Riesio 'nudum sinum recludens'.

3) In Varronis de l. l. lib. VI. p. 215, qui locus in codice Florentino sic legitur 'Quod ad temporum vocabula Latina attinet, hactenus sit satis dictum', vocem 'hactenus' utique expellendam esse arbitror.

4) In Sophoclis Antig. v. 110 sqq. (ed. Herm.)

ὃν ἐφ' ἁμετέρᾳ γᾷ Πολυνείκης
ἀρθεὶς νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων
ὀξέα κλάζων αἰετὸς ἐς γᾶν
ὣς ὑπερέπτα

quod est verbum ὑπερέπτα intelligendum est cum Hermanno 'desuper, ex alto devolabat' non, ut plurimi nunc volunt 'supervolabat'.



Vita.

Hugo Reiter natus sum Roesseliis, in oppidulo Prussiae orientalis, a. d. VII. Id. Septbr. anni 1858. parentibus adhuc vivis, patre Andrea, matre Mathilda e gente Latkiana. Fidei addictus sum catholicae. Novem annorum puer patriae urbis gymnasium adii quod etiamnunc floret auspiciis viri doctissimi Josephi Frey, unde autumno anni 1877. testimonium maturitatis adeptus Regimontium me contuli, ut in studiis potissimum antiquitatis tempus operamque collocarem. Audivi per quattuor annos viros illustrissimos hos:

Bezzenberger, Friedlaender, Garbe, Hirschfeld, Jordan, Lehrs †, Ludwich, Nesselmann †, Quaebicker, Ruehl, Schade, Walter,

quibus omnibus gratias ago agamque semper quam maximas.

Per unum semestre proseminarii, per biennium seminarii regii philologici sodalis et per sex quidem ultimos ejus menses senior fui.



